Typographus Lectori.

CUM illud mihi summopere cordi sit, Lector humanissime, ut quantum per me fieri potest, tibi consultum velim; idcirco novam hanc Authoris nostri Editionem aggressus diligenter curavi, ut totum, quam late patet, Opus in Synopsin redigeretur, ne quid in ea parte, quod tam diffusæ materiei studium facilius planiusque reddere posset, desideraretur. Ad hanc rem eo consilio motus, ut tibi prodessem, usus sum labore, atque industria strenuissimi cujusdam viri, cujus nomen, ut illi morem geram, reticere conabor. Quæ potissima in tam ingenti rerum volumine, quæque scitu magis digna visa sunt, ille suo labore, quem haud vulgarem contulit, in unum per Aphorismos collegit, rerumque delectum studiosæ præsertim juventuti, tanquam præsentissimum addiscendi modum, propinare religioni duxit. Hanc igitur lucubrationem æqui bonique consule, Lector humanissime; & si quid in ea quod memoriam, quod studium tuum juvare possit, repereris, pro tua utitor humanitate. Non deerunt etiam sub finem hujus Synopsis ea, quæ de re Matrimoniali sapienter, doctissimeque a SS. D. N. Benedicto XIV. hodiedum feliciter regnante, per suas Constitutiones sanxita fuerunt. Spero, me hac mea additione nemini futurum molestum. Vale.

APHO-

APHORISMI THOMÆ SANCHEZ DE MATRIMONIO.

ABBAS.

Vide decisiones casus 15. v. dispensatio c. 17. & seq. v. Episcopus c. 12. v. Ordinarius. c. 3. v. Vicarius c. 12.

CASUS I.

ABBATES, & alii Prælati habentes jurisdictionem quasi episcopalem, & diœcesim nulli Episcopo subjectam possunt erga subditos dispensare in iis quæ Trid. concedit Episcopis, quamvis quidam neoterici doctissimi contrarium valde probabiliter doceant. lib. 8. disput. 2. num. 12.

2. Eadem potestas competit superioribus socalibus & conventualibus religionum exemptarum erga religiosos eis subditos ex concessione Pii V. n. 13.

Accusare.

v. Compensatio. v. Dos c. 25.

1. Conjuges æquales sunt quoad accusationem civilem ad divortium celebrandum & donationem propter nuptias ac dotem amittendas: sed quoad accusationem criminalem minime censentur pares: viro enim conceditur accusare criminaliter uxorem adulteram, non tamen econtra: & quoad accusationem criminalem non compensantur adulteria conjugum. lib. 10. d. 8. n. 33.

2. Jus accusandi de adulterio quoad pœnam criminalem & civilem præscribitur quinquennio, sed quoad divortium petendum nunquam præscribitur. Ex Stephano. 5. l. 10. d. 3. n. 8.

3. Quando vir accusat uxorem de adulterio, sive divortium intentans, sive quamvis aliam pœnam & econtra quando uxor virum, non est opus fraternam correctionem præcedere; quæ requiritur quando via denunciationis Evangelicæ proceditur. lib. 10. disp. 19. n. 3.

4. Si accusatio conjugum de adulterio tendat ad solum divortium, nulla desideratur inscriptio accusantis, qua se ad pœnam talionis obliget, si in adulterio probando succubuerit: quia ea accusatio ad nullam pœnam criminalem inferendam tendit. n. 4.

v. Adulter c. 27. 28.

5. Conjux innocens petens debitum ab adultero aut ipsi reddens & aliis condonationis signis utens animo non condonandi injuriam adulterii, potest in foro conscientiæ divortium celebrare & accusare adulterum. l. 10. d. 14. num. 23.

Actio. Actus.

v. Arra Hispane c. 14. v. Conditio c. 25. v. Ludus cap. 3. v. Metus cap. 2. & seq. v. pœna c. 11. & 15. v. professio c. 17.

1. Quoties lex humana justa, negat actionem ad aliquam rem petendam & simul concedit ejusdem rei possessori & debitori repetitionem si solverit, tunc licet possessori in utroque foro retinere: ea enim lex præstat authoritatem ad retinendum; nam cui datur actio eidem competit exceptio & retentio. l. 6. d. 38. n. 34.

2. Actus non operantur ultra agentium intentionem. l. 1. d. 21. n. 1.

3. Actus appellatione regulariter solus comprehenditur actus validus. l. 3. d. 2. n. 5.

4. Actus præceptus fieri sub certa forma, sine clausula annullativa, omissa forma valet, sive in Ordinario sive in delegato. l. 3. d. 32. n. 1. & 3.

3. Actus non vitiatur ex omissione modi sed conditionis: Idem non irritatur ex omissione formæ quæ jure communi inerat l. 3. d. 33. n. 3.

6. Actus duo quando eodem die fiunt, nec constat uter eorum præcesserit, is actus præcedere censendus est, qui necessarius est ad actus valorem. l. 3. d. 35. n. 19.

7. Actus uno casu permissus & altero prohibitus censetur in dubio factus casu permisso. l. 6. d. 9. n. 4.

8. Actio criminalis & civilis principaliter ex eadem causa intentari non potest; incidenter tamen absoluta una ad aliam licet devenire si hæ actiones tendant ad diversa. l. 10. d. 8. n. 19.

9. Actore nil probante in causis conjugalibus juramentum est deferendum reo. l. 7. d. 113. n. 28.

v. Adulter c. 6.

10. Ubi ad idem competit actio & exceptio, quamvis delictum non fuerit deductum in judicium per viam actionis, potest is qui non deduxit, postea agere. l. 10. d. 9. num. 25.

Adoptio.

v. Cognatio legalis.

1. Adoptio est extraneæ personæ in filium vel nepotem vel deinceps legitima assumptio: & est duplex; quædam perfecta per quam adoptatus transit in adoptantis potestatem & illi succedit, & hæc dicitur arrogatio: altera est imperfecta per quam adoptatus non transit in adoptantis potestatem & hæc dicitur simplex adoptio. l. 7. d. 63. n. 1. & 2.

2. Ut integrum sit alicui alium adoptare desideratur. 1. ut adoptans sit sui juris & major 25. annis. 2. ut sit vir, nam feminæ adoptare nequeunt, nisi ex privilegio principis. 3. ut possit generare, vel si non possit, id non sit ex defectu naturali, sed ex casu accidentario. 4. ut ita excedat ætate adoptatum ut possit esse ejus pater naturalis, imo 18. annis debet eum excedere. n. 3.

3. Arrogare nequit qui quadraginta annos non nactus est. ibidem.

4. Adoptari potest quiliber sive masculus, sive femina, dummodo sit præsens; quia absens nec adoptare nec adoptari potest etiam per procuratorem. ibidem.

5. Adoptio sex modis solvitur 1. naturali morte adoptantis 2. morte ejus civili 3. ob nuptias incestuosas 4. ob dignitatem ut episcopalem 5. per sententiam 6. per emancipationem. n. 4.

Adulter. Adulterium.

v. Beneficium c. 9. v. Crimen v. Debitum. c. vi. & sequent. v. Divortium c. 6. & seq. v. Dotatio c. 14. v. Dos c. 27. & sequent. v. Viricidium.

1. Adulterium non est fornicatio admissa post sponsalia de futuro licet circumstantia sponsalium sit explicanda in confessione, quando se tenet ex parte feminæ, etsi quidam probabiliter id negent: filii tamen inde concepti sunt naturales. l. 1. d. 2.

2. Adulter conjux quamdiu alterum ejus adulterium latet, non perdit jus petendi, imo exigendi (cogendo illum) debitum; quamvis quidam contrarium probabiliter sentiant. lib. 1. disp. 68. num. 2 3. & 4.

3. Idem dicendum, licet conjux innocens suspicaretur alterum adulteratum esse, levibus tamen indiciis quæ non sunt sufficientia ad ipsum in foro conscientiæ excusandum a redditione debiti. ibidem.

4. Adulter vir pacisci potest cum uxore adultera ut conniveat in divortium ne ipsam criminaliter accuset. l. 10. d. 6. num. 10.

v. Compensatio. 5. Adulter vir perdit donationem propter nuptias, sed cum sit pœna, ad id desideratur sententia judicis. l. 10. d. 8. n. 11. & 13.

6. Adultero conjugi nulla acquiritur actio ut repetat innocentem, qui post divortii sententiam adulteratus est: quidam tamen docent contrarium probabiliter. lib. 10. disp. 9. num. 30.

7. Adulteram uxorem quantumcumque publicam non tenetur vir dimittere, ratione præcepti correctionis fraternæ, sed scandali vitandi ne censeatur patrocinans uxoris adulterio: uxor autem nunquam adstringitur hoc præcepto dimittendi viri adulteri pertinacis. lib. 10. disput. 13.

v. Amplexus c. 1. 8. Abusus uxoris extra vas legitimum gravius est peccatum abusu simili inter solutos: & ultra peccatum contra naturam, est adulterium tam ex parte viri, quam ex parte uxoris consentientis, & proinde uterque tenetur confiteri circumstantiam utramque adulterii; imo non satis est fateri adulterium cum conjugata in genere, ac peccatum contra naturam, sed explicandum est admissum fuisse cum propria conjuge. l. 9. d. 18. num. 3. 4. & 5.

9. Adulteram uxorem in delicto repertam enecans maritus propria authoritate, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem instar aliorum homicidarum, si etiam cum uxore adulterum occiderit; licet quidam licitum putent. l. 10. d. 8. n. 27.

10. Adulteræ uxoris pœnæ civiles sunt; ut perdat dotem viroque accrescant, & amittat bona paraphernalia, ceteraque bona ac viro adjudicentur: uxor vero ob viri adulterium lucratur donationem propter nuptias, v. Alimenta c. 16. l. 10. d. 8. n. 2. & 10.

11. Conjux innocens quamdiu status utriusque est omnino immutatus potest cogere adulterum ut sibi reconciliet & tenetur adulter convivere quamvis sententia divortii præcesserit, quia quod favore alicujus introductum est, non debet in ejus damnum retorqueri. Contrarium tamen probabile est. lib. 10. disp. 10. num. 2. & 3. v. Restitutio. c. 18.

12. Quando res non est integra ex parte innocentis eo quod statum mutarit factus professus aut sacris ordinibus initiatus, nullum superest jus innocenti ad reconciliandum adulterum. n. 6.

13. Si innocens votum simplex castitatis emiserit, quamvis peccet contra votum, si reconciliet sibi adulterum, at adulter nulla se exceptione tueri valet ne ad innocentem petentem redeat: votum enim simplex non privat conjugem voventem jure justitiæ quod habet in corpus conjugis, ibidem.

14. Minime permittitur conjugi adultero transire ad religionem invito innocenti, etiam lata divortii sententia; quod si ingrediatur potest etiam post professionem revocari. n. 12.

15. Non potest conjux adulter ad religionem transire ignorante & inconsulto innocente, sed ejus licentia desideratur: valide tamen mutare statum adulter post divortii sententiam si id sciat innocens nec contradicat cum possit. n. 13. & 14.

16. Ut adulter de licentia innocentis profiteatur vel ad sacros ordines transeat, non est necessarium ut innocens etiam ad religionem transeat votumve castitatis emittat: sed potest manere in sæculo absque voto aliquo. 15.

17. Si lata divortii sententia innocens monitus, nolit adulterum sibi reconciliare, potest adulter statum mutare profitendo, & semel jam professus revocari non poterit. n. 16.

18. Conjux adulter dum ejus adulterium latitat innocentem, non est ipso jure privatus facultate exigendi debitum, donec conjux alter adulterii conscius ipsum privet: atque ita interim potest adire judicem ut ipsum reddere compellat. l. 10. d. 12. n. 8.

19. Ut conjux innocens possit in foro conscientiæ ab adultero divertere eique debitum negare, desideratur ut certus sit de alterius adulterio; cum enim possessio stet pro altero conjuge, ea in dubio privari minime debet. num. 39.

v. Probatio. c. 18. 20. Non desideratur ad id certitudo metaphysica, sed satis est moralis, qualis habetur per ea indicia quæ in foro externo probata convincerent conjugem de adulterio. num. 40.

21. Non sufficit quæcumque suspicio probabilis, sed desideratur suspicio violenta; quia hæc sufficit ad condemnandum. n. 41.

22. Quamvis adulterium plene probari nequeat, at conjecturæ & præsumptio violenta quibus probandum est, sunt plene probanda per testes non singulares & omni exceptione majores. n. 51.

23. Viro suspicanti adulterium uxoris licitum est illam observare cum testibus idoneis, ut eam possit de adulterio convincere: verum non liceret eo fine offerre occasionem uxori ut adulteretur. n. 52. & 53.

24. Non licet in foro conscientiæ viro pactum cum uxore inire, ut amasio ejus castitatem violare tentanti conniveat, concedens tempus & locum non ut adulterium perficiat, sed ut in crimine deprehendatur. numer. 54.

25. Conjux adulterii sui conjugis conscius potest in foro conscientiæ secluso scandalo ab ejus habitatione divertere, quamvis adulterium sit occultum; nec sententia judicis desideratur. n. 31.

26. Adulterium conjugati cum conjugata habet duplicem malitiam in confessione necessario explicandam; etsi quidam negent. l. 9. d. 15. n. 6.

27. Conjux innocens copulam sponte habens cum conjuge adultero etiam occulto, sive petendo sive reddendo, modo sit adulterii conscius censetur condonare injuriam, nec deinceps poterit reum accusare civiliter nec criminaliter. l. 10. d. 14. n. 6.

28. Conjux innocens sponte & scienter retinens adulterum & nulla necessitate etiam honestatis compulsus familiarem reo se exhibens censetur illi parcere, ac subinde jus divortii & accusandi perdit: tamen hæc condonatio tacita innititur præsumptione, unde si animus condonandi deest in foro conscientiæ non est condonatio, etsi quidam esse affirment. numer. 17. 18. & 21.

Ætas.

1. Ætas ad sponsalia contrahenda est septennium completum metaphysice: sufficit autem si ultima septennii dies non sit completa, sed incepta & hoc favore matrimonii: si tamen aut uterque aut alter ex contrahentibus septennibus usum rationis adeptus non sit, sponsalia forent irrita. l. 1. d. 16. n. 2. 3. & 4. v. Beneficium. c. 22 & seq. v. Excommunicatio. c. 20. v. Infans. v. Debilitas. c. 27. & seq. v. Matur. c. 71. & sequent. v. Subrepticio. c. 58. & seq.

2. Si uterque vel alter contrahens minor septennio sit, nec malitiæ suppleat ætatem, sunt nulla sponsalia; nisi post legitimam ætatem expresse vel tacite ratificentur. num. 5.

3. Negant quidam valere sponsalia ante septennium, etiamsi eo tempore rationis usus contrahentibus adsit, verum multo verius est malitia supplente ætatem valide contrahi sponsalia ante septennium. n. 8. & 9.

4. Aliqui censent una cum usu rationis exigi ætatem septennio proximam, nec sufficere usum rationis antea habitum; tamen probabilius est valida esse sponsalia in quacumque ætate contracta, si via ordinaria vel miraculose usus rationis acceleretur; imo talis usus rationis sufficit qui ad culpam lethalem satis esset, num. 13. 14. & 16.

5. Ætas ut jejunium obliget est 21. annorum completorum de momento ad momentum computato nativitatis puncto. l. 2. d. 24. n. 23.

6. Ætas jure requisita ad matrimonium valide ineundum est pubertas nempe annus duodecimus in femina, in viro autem annus decimus quartus, satis tamen est ultima dies anni duodecimi in femina & 14. in viro incepta. l. 7. d. 104. n. 1. & 2.

7. In dubio nec mas nec femina præsumentur generationi apti ante dictam pubertatis completam ætatem; quare ante eam ætatem asserenti hanc aptitudinem incumbet onus probandi utpote qui contra se præsumptionem habet. n. 4.

8. In matrimonio malitia supplet ætatem, atque adeo validum est matrimonium ante ætatem jure præscriptam initum, si tunc adsit potentia generandi & sufficiens discretio ad se obligandum. n. 5.

9. Quibusdam videtur jure naturæ ætatem pubertatis ad matrimonium desiderari; ceterum verissima sententia est solo jure Ecclesiastico eam ætatem præscriptam esse, ac proinde attento solo jure naturæ valere matrimonium initum a pueris cujuscumque ætatis, dummodo doli capaces sint. n. 8. & 9.

10. Infideles valide contrahunt in quacumque ætate dummodo rationis usu sint præditi, quia legibus Ecclesiasticis non subduntur. n. 10.

11. Summo Pontifici integrum est dispensare ut in quacumque ætate matrimonium initum valeat, modo pueri rationis usus participes sint: imo satis probabile est in casu urgentissimæ necessitatis id posse Episcopum. num. 11. & 12.

12. Sustinent quidam & satis probabiliter matrimonium puberis, impotentis tamen ad copulam conjugalem ex debili ætate esse irritum, verum probabilior sententia ait id matrimonium valere: idem dicendum, quando femina completo anno duodecimo ex diminuta corporis dispositione nondum potest pati congressum virilem; quia hæc impotentia non est perpetua. num. 14. & 15.

13. Quando puer 14 anno completo aut femina 12. adhuc

adhuc inveniuntur impotentes ad copulam, ad experiendum an impotentia sit perpetua, ac matrimonium irritum, quidam sentiunt triennium esse expectandum, in quo vacent copulæ: aliis placet biennium; at dicendum est expectandum esse usque ad plenam pubertatem quæ feminis 14. anno ætatis contingit, viris vero 18. anno n. 16. 17. & 18.

14. Quidam ajunt nomine malitiæ intelligi solam generandi potentiam, atque ita in quacumque tenera ætate hæc adsit, posse valide iniri matrimonium: at multo probabilius est nomine malitiæ supplentis ætatem ad matrimonium peritam, comprehendi potentiam ad copulam, ac prudentiam & discretionem ad intelligendam consensus conjugalis vim. n. 20. & 21.

15. Quorumdam sententia est, puerum pubertati proximum dici qui ab ea per sex menses distat: alii dicunt ætati alicui proximum appellari qui est circa finem ipsius aut ipsam excessit per tres dies: alii dicunt quando puer excessit annum decimum cum dimidio & puella nonum cum dimidio; sed verior sententia est judicis arbitrio relinqui qua ætate dicuntur masculus & femina impuberes pubertate proximi: judex autem non tam annorum numerum quam personæ conditionem, actusque qualitatem spectabit, eritque spectanda regionis qualitas in qua impubes natus est d. num. 37. usque ad 41.

Affinitas.

v. Commutatio c. 21. 1. Affinitas juxta Theologos & jurisperitos, est propinquitas personarum ex carnali copula proveniens omni carens parentela. l. 7. d. 64. n. 1.

2. Affinitas durat post mortem ejus qui affinitatis contrahendæ causa fuit licet & consanguinitas. n. 2.

3. Affinitas gradus non habet proprie, sed mensurantur gradus inter affines juxta gradus consanguinitatis. numer. 3.

4. Stipes in affinitate dicitur duplex illa persona quæ per carnis copulam commiscetur, utraque enim est origo & radix hujus affinitatis, n. 4.

4. Linea affinitatis est duplex sicut & consanguinitatis; quædam est recta ascendentium, ut soceri, socri, vitrici, novercæ: & descendentium; ut generi, nuri, privigni, privignæ, ibidem.

6. Alia vero linea est transversa collateralium: hi sunt qui alterutri conjugi sunt consanguinei in linea transversa, nam alteri sunt affines in eodem gradu lineæ transversæ, ibidem.

7. Citra dubium est tenendum ex sola vasis seminei penetratione non emisso intra viri semine minime oriri affinitatem: fides tamen non haberetur nisi in solo conscientiæ foro copulam habentibus, ac seminis effusionem infra vas negantibus; quia ex ea copula satis præsumitur seminis effusio. n. 8. & 9.

8. Non contrahitur affinitas ex copula in qua femina sola seminat, quia ea non satis est ad prolis generationem; neque ex congressu spadonum consummantium intra legitimum vas, quia verum semen non emittunt: neque ex quacumque extra vas legitimum pollutione, ut ex copula sodomitica. n. 10. 11 12. & 13.

9. Ad affinitatem contrahendam sat est copula extra vas, si virile semen quacumque arte vel matrice feminea illud attrahente in vas feminеum subintret; & hoc verum quamvis ministerio dæmonis semen virile intra vas feminæ immittatur, n. 15.

10. Oritur affinitas ex copula habita cum femina prorsus invita, ignorante, dormiente, ebria, insana, quamtumvis occulte fiat: secus autem ex copula habita cum muliere mortua. n. 17. & 18.

11. Probabile est ad affinitatem contrahendam requiri utrumque conjugem semen emittere, & sic seminum commistionem fieri, at multo probabilius est & communius nullatenus desideari semen feminæ sed sufficere ad affinitatem, si vir intra clausura pudoris seminei seminet. n. 20. & 21.

12. Impedimentum quod oritur ex matrimonio rato est vere & proprie publicæ honestatis & non affinitatis; licet improprie & large sit quoddam affinitatis initum. num. 25.

13. Gradus affinitatis in quibus non licebat matrimonium. Levitici 18. sunt: primus lineæ rectæ ascendentium, ut soceri cum nuru, vitrici cum privigna, & econtra, privigni cum noverca, socrus cum genero: & quidam secundus, ut vitrici cum filia privignæ. In transversa autem linea erat prohibitum conjugium in quodam duplici gradu ut cum uxore fratris & cum sorore uxoris, uxore vivente & cum uxore patrui. l. 7. disp. 52 num. 1.

14. Aliquibus videtur probabile affinitatem ex copula fornicaria ortam esse vinculum naturale, atque subinde tempore infidelitatis oriri; sed contrarium dicendum est, & ideo secluta omni lege Ecclesiastica nullum vinculum naturalis amicitiæ oriri inter consangui-

v. Beneficium. c. 13. v. Contractio spiritualis. c. 36. v. Dispensatio. c. 20. v. Dubium. c. 20. v. Metus. cap. 15. v. Mutuus. v. Novitiatus. c. 3. v. Ordo. c. 24. & sequent. v. Potestas. c. 10. v. Præsumtio. c. 17. v. Procurator c. 1. v. Ratificari c. 12. v. Senex. v. Sponsalia. c. 7. & seq. v. Adoptio c. 2.

neos viri & feminam ab eo fornicarie cognitam, nec econtra. l. 7. d. 65. n. 8. & 9.

15. Docent quidam affinitatem ex matrimonio consurgentem dirimere jure naturæ matrimonium, in linea recta inter ascendentes, & descendentes in quocumque gradu in infinitum; alii tenent in primo tantum gradu prohibitum at irritum esse matrimonium jure naturæ, ut privignum & novercam; vel privignam & vitricum &c. verum probabilior sententia ait, hanc affinitatem in nullo gradu lineæ rectæ ita prohibere jure naturæ matrimonium ut illud irritum reddat, ac proinde secluso jure Ecclesiastico in quocumque gradu esse validum. l. 7. d. 66. n. 5. 6. & 7.

16. Quibusdam placet in primo gradu affinitatis lineæ transversæ esse jure naturæ interdictum matrimonium ut si quis ducat uxorem fratris; sed dicendum est nullum gradum affinitatis in linea transversa adeo esse prohibitum jure naturæ, ut eo attento irritet matrimonium quamvis aliquam præ se ferat naturalem indecentiam, nisi causa aliqua justa cohonestetur. num. 10. & 11.

17. Jure antiquo interdictum erat ac irritum matrimonium cum alterutrius conjugis consanguineis sicut cum propriis usque ad septimum gradum, & ita usque ad illum extendebatur affinitas. lib. 7. disp. 67. num. 3.

18. Novissimo Tridentini decreto restricta est affinitas ex fornicatione consurgens matrimonium dirimens, ad secundum gradum; ex matrimonio vero orta, dirimit matrimonium usque ad quartum gradum; & nomine fornicationis Tridentinum omnem illicitum concubitum complectitur. n. 4. 5. & 6.

19. Commissarius bullæ Cruciatæ potest dispensare ad petendum debitum cum conjuge, cui id interdicitur ratione affinitatis, imo secundum Rodriques etiam ratione cognationis spiritualis contractæ cum altero conjuge; licet hoc posterum author neget. lib. 8. disp. 15. num. 13. v. Legitimare c. 34.

Alimenta.

1. Alimenta tenetur prestare uxori eam absque dote ducens. l. 4. d. 26. n. 21. tamen si uxor dives sit, non teneretur. l. 9. d. 5. n. 9. v. Divortium, c. 74. & 75. v. Dotes. c. 10. & seq. v. Episcopus. c. 8. v. Expensa. c. 4. v. Filius. c. 31. v. Legatum. c. 12. v. Ratificari. c. 19.

2. Lite mota de valore matrimonii tenetur vir alimenta uxori prestare: limita: nisi vir certus sit non esse matrimonium. l. 2. d. 41. n. 51.

3. Alere non tenetur vir uxorem ex justitia, quæ passa est incisionem in matrimonii favorem, quod postea judicatum est irritum. l. 7. d. 93. n. 22.

4. Vir tenetur uxorem alere quando ipsi cohabitat, & in culpa non est cur separatio fiat. lib. 9. disp. 4. nu. 19. & 20.

5. Quando culpa sua uxor recedit a viro, minime obligatur vir, quamvis dotem habeat, ad ipsam alendam. num. 21.

6. Uxor a viro recedens ob nimiam castigationem, ab ipso alenda est; secus si castigatio moderata sit; quia in priori casu culpa viri est, in posteriori autem uxoris. num. 22.

7. Si uxor ob propriam culpam ut hæresim in perpetuum carcerem includatur, ex hoc capite vir minime ab obligatione illam alendi eximitur; licet subdubio quidam hunc casum indecisum relinquant. numero 23.

8. Ad decidendum cujus culpa separatio habitationis contingat, attendendum est semper ad ultimam culpam, juxta regulam juris; æquum est posteriorem moram nocere. num. 24.

9. Ubi neutrius conjugis delicto separatio contingit ut ob viri furorem vel morbum contagiosum, cujus infectionis periculo uxor cohabitans exponeretur, alenda est uxor seorsum habitans. n. 25.

10. Extra casum extremæ necessitatis potius tenetur vir uxori quam parentibus alimenta præstare: in extrema autem potius parentibus subveniendum. numer. 26.

11. Maritus inops non tenetur uxorem nec filios alere; imo uxor viro inopi tenetur alimenta prestare. num. 27.

12. Dote promissa non soluta minime tenetur maritus uxori alimenta præstare, si solvens est in mora; tamen si aliqua pars dotis soluta esset teneretur vir ad alimentorum partem pro rata. lib. 9. disput. 5. num. 1. & 2.

13. Si extraneus, id est, qui non habet mulierem sub sua potestate dotem promiserit & non solverit, indistincte maritus non tenetur alere uxorem; si autem uxor ipsa, aut ipsius pater, quando ratione impotentiæ non solvunt, non eximitur vir ab alimentandi onere, nisi promisissent dotem quam noverant se solvendo minime esse. n. 5.

14. Si vir alat uxorem nondum soluta dote, nihilque pro-

protestetur, minime potest petere alimenta ab uxore ipsa, vel a dotis promissore, videtur enim affectu conjugali facta donatio. n. 7.

25. Ubi uxor dotata ducta est, at ob ejus delictum ut ob hæresim, vel aliud crimen publicata dos est; quidam alendam esse a viro existimant, alii vero negant, sed distinguendum: quando culpa uxoris publicata dos fuit, si parentes in facultatibus sint ut ipsam alere valeant, tenentur quidem, si autem pauperes sint, tenebitur vir. n. 10.

16. In foro conscientiæ potest vir conscius adulterii occulti uxoris negare convictum & alimenta; in foro tamen externo non nisi post judicis sententiam. lib. 10. disp. 8. num. 25.

17. Hæredes viri dum dotem non restituunt viduæ pauperi, tenentur illi alimenta administrare, etiamsi intra annum luctus, transierit ad secundas nuptias; intelligo, si secundus vir ita egeat ut uxori alendæ non sit. l. 7. d. 87. n. 30.

Amentes.

v. Affinitas c. 10. v. Elicitas. 1. Ut sponsalitia valeant, requiritur ut uterque contrahens sit sui compos rationisque usum habeat; quare si alteruter insanus sit, vel furiosus, vel amens, sponsalia & matrimonium nulla erunt. l. 1. d. 8. n. 15.

2. Si furiosus vel amens dilucidis intervallis gaudeat potest eo tempore sponsalia & matrimonium contrahere; tunc enim usus rationis particeps est. n. 16.

3. In dubio quando non constat cum de quo tractatur antea furore correptum esse, non præsumitur furiosus sed sanæ mentis, si eam deliberationem habeat, quæ in materia gravi sufficeret ad culpam mortalem; quando autem constat aliquem dementia affectum fuisse, nec constat consuevisse habere dilucida intervalla, præsumitur adhuc demens; si probatum fuerit furorem durasse quodam continuo tempore ut anno, vel mense. num. 17.

4. Quamvis habitus furiosus, si intervalli lucidi tempore, ducat uxorem, valide contrahat, peccat tamen contrahendo; quia idoneus non est ad prolem educandam; & secundum aliquos peccatum mortale est, nisi per alias conjunctas personas prolis educationi satis consuleretur. num. 18.

5. Si amens vel ebrius tempore sanæ mentis voluntatem habuerunt contrahendi sponsalia aut matrimonium, eamque tempore ebrietatis vel amentiæ exequantur, minime sufficit talis voluntas ut sponsalia aut matrimonium valeant; quia requiritur plena deliberatio & consensus liber: sufficeret tamen virtualis voluntas; quia tunc in se ipso tale matrimonium est volitum. n. 20. & 21.

6. Verius est inveniri sæpe delirantes in aliqua specialis materia; ac proinde in illa, rationis, liberi arbitrii, meriti atque demeriti expertes, sed naturaliter brutorum instar imaginatione duci, in aliis vero ratione uti & libere operari, capacesque esse merendi & demerendi, ac proinde posse fateri, alia Sacramenta recipere, sponsalia ac matrimonium celebrare. n. 23.

v. Debitum c. 6. 7. Si ambo conjuges sint mentis impotes separandi sunt donec ad mentem redeant: & reus esset culpæ qui eos ad copulam incitaret. l. 9. d. 23. n. 5.

8. Culpam lethalem admittet qui duos amentes matrimonio inter se minime conjunctos ad copulam incitaret; non est tamen talis concubitus contra naturam; tenetur autem ille qui eos ita copularet fateri easdem circumstantias quæ farendæ essent ea copula habita inter personas mentis compotes. n. 6.

9. Si alter conjux solus sit amens, ex natura rei licitus est concubitus: unde si non sit periculum abortus aut damni notabilis conjugis sani, nulla erit culpa, etiamsi sit periculum ut amens seminet extra vas, quia sanus dat operam rei licitæ. n. 7.

10. Regulariter illicitus est concubitus ubi uxor amens est, & vir mentis compos ob periculum enecandi fœtum in utero: econtra si uxor mentis compos sit, vir autem impos, licitus est congressus, atque fas est uxori furiosum incitare ut secum coeat, quia abortus periculum cessat. n. 8. & 9.

11. Quidam asserunt teneri conjugem mentis compotem amenti exigenti debitum reddere nisi probabiliter timeat notabile propriæ personæ damnum; multo tamen probabilius est conjugem sanum non teneri per se atque ex natura rei debitum reddere amenti, quamvis nullum abortus aut damni conjugis periculum adsit. num. 4. & 10.

12. Si periculum esset in conjuge amenti vel furioso, negato sibi debito, accessus ad aliam, vel effusionis seminis, teneretur per accidens ratione cavendi hoc periculum conjux sanus ille reddere. n. 11.

Amplexus.

1. Affirmant quidam amplexus & oscula efficere suspicionem violentam adulterii, sed contrarium probabilius est, si alia adminicula non concurrant. l. 10. d. 12. n. 46. & 47. v. Circumstantia.

2. Amplexus & oscula habita scienter & sponte cum conjuge adultero, censentur adulterii condonatio, quia sunt actus conjugales; innocens autem conjux ex præcepto Ecclesiæ reddens debitum adultero conjugi exigenti, non censetur remittere adulterii injuriam. lib. 10. disp. 14. num. 19. v. Delictum. v. Divortium, c. 18.

Appellare. Appellatio.

1. Episcopus vel Archiepiscopus in sua diœcesi lite mota aliquos matrimonio conjungentes, quamvis pars adversa appellaret, valet matrimonium: idem dicendum si alii assistendi tali matrimonio licentiam daret. l. 3. d. 28. n. 4. v. Largitas sponsalitia c. 10. v. Osculum. v. Factus. v. Dimunciationes c. 28. & seq. v. Ordinarius c. 7. v. Sententia. v. Sententia.

2. Episcopo nolente matrimonio aliquos conjungere, si causa, per appellationem deferatur ad Archiepiscopum, potest hic causa cognita assistere matrimonio vel cuicumque Sacerdoti licentiam dare, dummodo ejus sententia transierit in rem judicatam, quia pars adversa consentit, vel transactum est decennium in quo poterat appellare, ibidem.

3. Pendenti appellationis termino nihil valet quidquid judex appellationis agit, ibidem.

4. Appellatione uxoris, vel viri, si materia est odiosa non comprehenduntur sponsi de futuro, neque de præsenti ante matrimonii consummationem: si autem materia est indifferens, veniunt qui contraxerunt per verba de præsenti sive consummarint sive non, non autem sponsi de futuro: si materia sit favorabilis, comprehenderetur etiam sponsa de futuro nomine uxoris, & nomine mariti sponsus de futuro. l. 1. d. 1. n. 2. & 3. 4.

5. Damnatus aliqua pœna pecuniaria appellans ex causa omnino falsa, aut falsis se testibus protegens, tenetur actori expensas litis restituere nec prosequi litem, pœnam vero non tenetur restituere, donec ab appellationis judice confirmetur sententia. lib. 10. disp. 8. num. decimo quarto.

Annulus.

1. Annulus traditus in Ecclesia sponsæ tempore nuptialium benedictionum ante consummatum matrimonium minime fuit ipsi, nisi ante donatus esset. lib. 6. disp. 23. n. 10.

2. Annuli traditio juxta loci consuetudinem præsumitur significare sponsalia vel matrimonium. lib. 1. disp. 22. num. 2.

3. Annuli immissio & receptio, si verba unius præcesserint, operatur verbum expressum alterius & consensum: unde si verbum matrimonii præcesserit, operatur matrimonium, si vero sponsalium, sponsalia; quia tacens consentit ipso facto dum annulum recipit. n. 3.

4. Ut præsumatur matrimonium, requiritur ut annulus ponatur in medio digito annulari; secus autem præsumentur tantum sponsalia. n. 4.

Archiepiscopus.

1. Archiepiscopus valide non potest dispensare absque causa in decretis synodi provincialis; quia ipse est inferior synodo provinciali leges eas ferenti; & ab ipso ad synodum appellatur: & ipsa synodus Archiepiscopum excommunicare potest: porro Archiepiscopus & Episcopi suffraganei tenentur illis decretis quoad vim coactivam; licet legibus suæ diœcesanæ synodi teneantur tantum quoad vim directivam, unde in illis valide dispensare possunt absque causa, licet quidam negent. l. 8. d. 17. num. 36. v. Appellatio. v. Dispensatio, c. 7. v. Ordinarius. v. Sententia c. 8. & 9.

2. Archiepiscopus non potest adiri a subditis suffraganeis, ut retractet sententiam matrimonii bis confirmatam: a qua appellatum non est, si postea error comperitur. l. 7. d. 100. n. 9.

Arra.

1. Arræ tripliciter usurpantur. 1. pro quadam donatione quam vir facit uxori in dotis præmium. 2. pro donatione propter nuptias. 3. pro pignore quod inter sponsos traditur in signum complendi matrimonii. l. 1. d. 35. nu. 1. v. Filius. c. 35. v. Minor. c. 18. & seq. v. Simonia c. 6.

2. Dum traduntur arræ exigitur ut expresse dicatur dari in signum futuri matrimonii, nam simpliciter traditæ, sponsalitia largitas sunt. ibidem.

3. Arræ ut valeant necessario tradendæ sunt, quia leges permittentes arras loquuntur de arris traditis: licet tantum promissas quidam valere putent. n. 3.

4. Negant quidam receptionem arrarum probari sola confessione recipientis, sed alii probabilius affirmant. numer. 5.

5. Quorumdam sententia probabilis est, non valere arras quando tantæ sunt ut contrahentium qualitate attenta, verisimile sit fore ut timore arras amittendi ma-

di matrimonium ineant, alii docent valere arras in quavis quantitate, dummodo dotis vel donationis propter nuptias quantitatem minime excedant, & dum hæ non interveniunt, tertiam bonorum partem; probabilior tamen sententia habet valide apponi arras in quacumque quantitate. n. 7. 8. & 9.

6. Quidam negant arras posse constitui in specie, ut in quodam fundo, sed necessario in quantitate numerica assignandas esse, ceterum verius est in specie posse constitui. n. 11. & 12.

7. Est communis & valde probabilis sententia arras non posse utrimque constitui, altero tradente certam arrarum quantitatem, & altero reddente similiter arras: verum probabilius est valere, quia leges absolute arras permittunt. n. 13. & 14.

8. Arras amittit tradens, si culpa sua matrimonium minime sequatur; eo autem secuto, redeunt ad tradentem. l. 1. d. 36. n. 2.

9. Nihil arrarum lucratur sponsa per osculum: id enim nullo jure definitum est. n. 3.

10. Qui citra culpam a sponsalibus resilit, non amittit arras quas tradidit, sed ipsi restituendæ sunt; intellige, si tradens arras bona fide contraxerit sponsalia ignorans impedimentum, vel in mora non fuerit ante obitum suum vel recipientis contrahendi matrimonium. n. 4. 5. & 6.

11. Quando alter contrahens solus tradidit arras, & culpa non tradentis matrimonium minime sequitur, tenetur hic restituere duplum, id est, arras ipsas receptas & tantumdem de suo patrimonio, etsi conventum sit ut restituat triplum vel quadriplum tenebitur ad hoc. numer. 7.

12. Si contrahens sponsalia sit minor 15. annis nec ætatis veniam impetrarit, tunc sive dentur arræ minori, sive tutori vel curatori vel alteri nomine minoris recipienti, quamvis per ipsum minorem stet, non tenetur amplius quam id quod recepit restituere. n. 8.

13. Quando uterque arras dedit & recepit, injuste resiliens suas perdet & quas accepit restituet, sic enim ad dupli pœnam præscriptam perveniatur, & hoc verum quando utraque arrarum quantitas æqualis est. numer. 9.

14. Pater tradens arras & promittens filiæ matrimonium, si faciat quidquid in se est ut filia adimpleat, & ipsa nolit, secundum veriorem sententiam ipsas non amittit, sed ipsi restituendæ sunt. n. 12. & 13.

15. Qui fornicatus est, vel aliud vitium patitur ob quod alter si seiret, posset a sponsalibus resilire validis, si dum est ignarus resiliat, lucratur arras, & tuta conscientia eas retinet quia injuste resiliens eas perdit, l. 1. disp. 68. num. 10.

Aræ Hispanæ.

1. Arræ apud Hispanos sunt, donatio facta sponsæ per sponsum in remunerationem pudicitiæ, vel nobilitatis, vel dotis sponsæ, quas soluto matrimonio sponsa lucratur; aliter vocantur donatio propter nuptias. l. 6. d. 1. num. 1.

2. Quidam affirmant arras dari in præmium virginitatis, restituendasque esse, ab ea quæ virgo non est: idem dicendum putant, in sponsalitia largitate, & in aliis donatis per sponsum sponsæ; contrarium tamen est probabilius. l. 6. d. 27. n. 3. & 4.

3. Si consummato matrimonio decedat sponsa vel sponsus, datur electio sponsæ vel ejus hæredibus, ut eligere possint arras, vel sponsalitiam largitatem, si utraque in eo matrimonio interveniant: hæc electio necessario facienda est intra 20. dies postquam vir vel ejus hæredes requisierint uxorem aut ejus hæredes, & si eo termino non elegerint, viro vel ejus hæredibus conceditur electio an malint sponsalitiam largitatem vel arras dare, quando donatio sponsalitiæ largitatis fuit valida. lib. 6. disp. 22. num. 1.

4. Uxori aut ejus hæredibus semel eligentibus arras aut jocalia non licet variare, si electio ea effectum habuerit: transactis autem 20. diebus ad electionem concessis, purgatio more non admittitur. n. 2. 3. & 4.

5. Dissolutis sponsalibus vel matrimonio ante consummationem non datur electio sponsæ medietatis arrarum per osculum, & si solæ interveniant arræ nil prorsus lucratur, quamvis contrarium affirmet Gomes Arias. num. 17. & 18.

6. Dubitant quidam arram posse inito matrimonio constitui, quia donatio inter conjuges omni jure prohibita est, probabilius tamen est posse, ante vel post initum & consummatum matrimonium. lib. 6. disput. 28. num. 1. & 2.

7. In regno castellæ vir tantum potest decimam bonorum suorum partem pro arris promittere uxori, lib. 6. disp. 29. num. 1.

8. Non tantum vir potest arras uxori constituere; sed etiam uxor viro in nobilitatis vel divitiarum præmium nec possunt excedere decimam bonorum uxoris partem. num. 4.

9. Arræ possunt promitti de bonis præsentibus & futuris, uxorque eligere poterit tempus, quo bonorum viri valor computandus sit; & tunc decimam illorum non debet excedere. num. 5.

10. Promissio arrarum de solis bonis præsentibus intelligitur, nisi futura exprimantur: unde sola bona, quæ tempore promissionis maritus possidebat, ad taxandam arrarum quantitatem inspicienda sunt, sive postea bona augeantur sive diminuantur, n. 6.

11. Quamvis promittens arras, hæredibus necessariis destitutus sit, non potest ultra decimam bonorum partem promittere, n. 10.

12. Cum de bonorum computatione facienda tractatur, ut liqueat quantitas decimæ arrarum uxori promissæ, deducendum est omne æs alienum, quia quod superest eo deducto dicitur esse in bonis, & onera & tributa quæ ex eis solvuntur. n. 11. & 12.

13. Ad computandam hanc bonorum decimam æstimandus est valor officiorum quæ vendibilia sunt: computanda sunt etiam illa ad quæ vir habet actionem, illa enim dicuntur esse in bonis n. 13.

14. Si arræ excedant decimam bonorum partem, non omnino sunt invalidæ, sed tantum quo ad excessum, & si fundus excedat valorem decimæ, validæ tantum sunt arræ quoad decimam. n. 14. & 16.

15. Quidam negant quemdam tertium posse ultra decimam bonorum viri partem nomine arrarum uxori promittere, sed verius est posse; sive promittens extraneus, sive viri consanguineus sit. n. 17. & 18.

16. Affirmant aliqui decimam hanc computandam esse juxta bona quæ maritus promissionis tempore bona fide possidet, illisque postea evictis, vel si aliter constet non fuisse propria minuendam non esse; ceterum oppositum est verius, nimirum computandam esse decimam eorum bonorum tantum quæ re vera erant promittentis. l. 6. d. 30. n. 1. & 2.

17. Non est respectus habendus ad valorem majoratus, sed ad valorem usufructus seu redditum quos promittens arras est percepturus toto vitæ suæ curriculo. l. 6. d. 31. n. 1.

18. Dicunt quidam ad computationem faciendam redditum majoratus, attendendam esse ætatem ac valetudinem ipsius majoratus possessoris, alii vero melius docent æstimandos esse hos redditus ad rationem unius pro septem, sicut regia pragmatica Philippi 2. taxat census vitalitios. n. 2. 3. & 4.

19. Excessus arrarum ultra decimam, & sponsalitiæ largitatis ultra octavam partem dotis non sunt valida in foro conscientiæ quoad excessum, sed ille restituendus est, nulla judicis sententia expectata lib. 6. disd. 33. num. 2.

20. Quidam docent donationem arrarum ultra decimam confirmari juramento; probabilior tamen sententia contrarium asserit, l. 6. d. 34. n. 1. & 2.

21. Si donetur aut promittatur sponsalitia largitas ultra dotis sponsæ octavam partem, firmatur juramento. num. 3.

22. Sentiunt quidam uxori incumbere onus probandi arras promissas non excedere decimam bonorum viri partem: alii dicunt dum uxor aut ejus hæredes petunt arras promissas, teneri eos probare non excedere decimam: secus quando possident arras & conveniuntur a viro vel hæredibus ejus quod sint ultra decimam; verum probabilius est nec uxorem, nec ejus hæredes teneri probare esse arras intra decimam bonorum, sed marito, vel ejus hæredibus incumbere onus probandi excedere decimam ut eas obtineant. lib. 6. disp. 35. num. 2. 3. & 4.

23. Affirmant quidam arras promissas per virum habentem filios prioris matrimonii, extrahendas esse de toto hæreditatis corpore instar æris alieni; ceterum dicendum est arras extrahendas esse, ex ea parte de qua potest vir in præjudicium ascendentium vel descendentium disponere; ut in castella de quinto bonorum, si filii ex priori matrimonio supersint vel ex tertio si solos ascendentes habeat. lib. 6. disp. 36. nu. 14. & 15.

24. Si tempore quo vir promisit arras, carebat liberis, postea iis natis, affirmant quidam extrahendas esse de quinto bonorum, sed melius alii docent ex toto hæreditatis acervo tunc extrahi, & eis non obstantibus posse patrem in vita vel in morte de integro quinto disponere. num. 16.

25. Quamvis maritus tempore promissionis arrarum non meminerit dotis promissæ, potest non soluta dote non solvere arras, & si non solvatur, integra dos, vel plus æquo æstimetur, minuere pro rata dotis non solutæ, vel pluris æstimatæ quantitatem arrarum: tamen si matrimonium initum fuerit habita fide de dote certo tempore solvenda, & ante id tempus matrimonium dissolutum fuerit, tunc licet dos soluta non sit, tenetur vir vel ejus

jus hæres ad integras arras solvendas, lib. 6. disput, 37. num. 2.

26. Quando mulier descendentes habet, quidam asserunt de sola quarta arrarum parte illam posse ad libitum disponere, reservatis tribus reliquis portionibus filiis, in illisque filios æqualiter succedere, nec concedi matri posse aliquem descendentium in illis portionibus meliorare: verum omnino tenendum est, in regno Castellæ posse matrem quæ secundo non nupsit, quemcumque ex descendentibus meliorare in tertia & quarta arrarum parte, l. 6. d. 40. n. 3. & 4.

27. Quando mulier solos habet ascendentes, certissimum est de sola tertia arrarum parte posse illam in eorum præjudicium disponere in regno Castellæ, num. 6.

28. Probabiliter sustinent quidam uxorem secundo nubentem non teneri reservare arras filiis prioris matrimonii; sed de illis posse, ut de reliquis bonis disponere; sed communior & probabilior sententia ait teneri reservare arras, filiis prioris matrimonii, quas ob eorum patrem mulier accepit, inter illosque esse æqualiter dividendas ex testamento aut ab intestato, nec posse ex illis instituere majoratum, aut meliorare quemquam eorum filiorum. l. 6. d. 41. n. 2. & 3.

Aspectus.

v. Delectatio. v. Osculum. v. Tactus. v. Turpia.

1. Aspectus turpes inter conjuges absque pollutionis periculo non sunt peccata mortalia, sed venialia si ad voluptatem, liciti autem si ad provocandum se ad copulam referantur, l. 9. d. 44. n. 13.

2. In conjugatis non est mortale per aspectus, tactus, & verba turpia, delectationemque veneream ex copula cogitata consurgentem, dare causam commotioni membrorum servientium generationi & incurrere in distillationes prævias; quamvis inter solutos id esset lethale. l. 9. d. 45. n. 41.

3. Culpa lethalis est verenda alterius sexus aspicere operta vestibus ita subtilibus ut parum aspectui obstant. num. 24.

4. Inter personas ejusdem sexus vacat culpa lethali se nudas aspicere; nisi ob vehementem propensionem ad sodomiam adesset periculum consensus; vel ob personarum gravitatem scandalum. num. 26.

5. Inspicere propria verenda ex quadam curiositate, absque alia mala intentione & periculo non est mortale. num. 27.

6. Inspicere viri cum femina concubitum est mortale, quia est proximum ruinæ periculum, n. 28.

7. Aspicere brutorum concubitum, vel partes eorum fœdas turpiter commotas, communiter non est mortale; sed si in aspicientibus redunderet notabilis delectatio sensualis, esset mortale. n. 29.

8. Quoties aspectus ratione notabilis delectationis venereæ vel periculi est mortalis, fateadæ sunt circumstantiæ personarum sicut in copula ipsa. num. 30.

9. Sponsis de futuro licet frui delectatione quæ ex aspectu nascitur: modo non sit valde impudicus, ut partium verendarum, num. 52.

Benedictio.

v. Excommunicatio c. 9. v. Interdictum c. 5. & seq.

1. Sacerdos mortalis culpæ reus assistens matrimonio, & nuptiarum benedictionem celebrans, hac ratione non peccat lethaliter, quia ea benedictio non est Sacramentum, sed Sacramentale quoddam. l. 2. d. 6. n 5.

2. Infideles ad fidem conversi si prius conjuncti sint, non tenentur post Baptismum iterum coram parocho & testibus contrahere: optime tamen facerent si Ecclesiæ benedictiones, vulgo velationes post Baptismum reciperent, sed ad id non tenentur. l. 2. d. 9. n. 1. & 2.

3. Benedictiones Ecclesiæ non sunt iterum recipiendæ, quando matrimonium fuit nullum ob occultum impedimentum & clam convalidatur. l. 2. d. 37. n. 13.

4. Ante Ecclesiæ benedictiones consummare matrimonium, non est peccatum lethale, sive petendo debitum, sive reddendo: imo probabilius non est esse veniale, licet contrarium varii varie sentiant: tamen si esset contemptus vel sequeretur scandalum, mortale esset. l. 3. d. 17. a n. 1. usque ad 10.

5. Quamvis esset peccatum consummare matrimonium ante Ecclesiæ benedictiones, id tamen solum esset verum de priori copula non tamen de reliquis, n 11.

6. Si esset culpa ante benedictiones consummare, tam petens debitum quam reddens peccarent. n. 12.

7. Tenendo esse culpam consummare ante benedictiones, neuter conjux tenetur alteri debitum reddere, quia non petit debito tempore, etiam transacto bimestri ad deliberandum de religionis ingressu, si adhuc benedictiones non sint receptæ. n. 13.

8. Benedictiones nuptiales institutæ sunt ab Ecclesia propter Sacramenti dignitatem, & ad actus appetitus carnis rite peragendos maxime decuit illas præmitti. l. 7. d. 82. n. 1.

9. Benedictiones a proprio contrahentium parocho impendendæ sunt, & a nullo alio nisi de licentia Ordinarii, vel parochi, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ; a qua absolvit Ordinarius ejus parochi, a quo benedictio suscipienda erat, ex Concil. Trident. sufficit autem utriusvis contrahentis parochus. num. 2. & 4.

10. Benedictiones omittere ex mera negligentia seclusso contemptu quidam satis probabile putant esse mortale, sed tantum esse veniale docet auth. n. 6. v. Contemptus.

11. In Hispania filiifamilias per contractum matrimonii, nondum receptis benedictionibus nuptialibus, non eximuntur a patria potestate, nec cessant in eis illius effectus, & retentio usus fructus patris in eorum bonis adventitiis. n. 7.

12. Secundum veriorem sententiam si uterque vel alter conjux in primis nuptiis benedictionem acceperit, non est secundis nuptiis benedictio impertienda, secus autem si neuter conjux in primis nuptiis benedictionem acceperit n. 15. servetur consuetudo locorum.

13. Benedictiones non sunt secundis nuptiis impertiendæ, etiam quando priores inveniuntur irritæ, n. 26.

14. Sacerdos secundis nuptiis benedictionem impertiens in casu non permisso potest suspendi, vel alia pœna arbitraria puniri. n. 30.

15. Benedictiones solemnes nuptiarum, quas vulgo velationes vocant, attento jure communi & novo Tridentini interdicuntur a primis vesperis sabbati ante dominicam primam adventus, usque ad Epiphaniam & a feria quarta cinerum, 1. a media nocte illius feriæ usque ad octavam Paschæ. l. 7. d. 7. n. 1. & 2.

16. Sacerdos adversus præceptum Ecclesiæ benedicens nuptias tempore vetito, gravi pœna arbitraria plectendus est: sponsi vero id præceptum transgredientes nisi esset periculum incontinentiæ in alterutro conjuge, sunt in delicti pœnam ad tempus separandi. num. 3. 4. & 5.

17. Episcopus jure ordinario nequit dispensare ut benedictiones solemnes temporibus veritis dentur, at in casu valde urgenti ubi non est recursus ad Pontificem, posset. num. 6.

18. Illo feriarum tempore non prohibentur sponsalia de futuro, nec denunciationes matrimonio præmittendæ, n. 7. & 8.

19. Quidam interdictum esse ajunt feriarum tempore matrimonium contrahere; imo illud esse irritum tunc temporis contractum alii sentiunt, ceterum omnino tenendum est, id nullatenus interdictum esse, si absque magna solemnitate & pompa fiat; si tamen alicubi consuetudo viguisset ut nec matrimonium his feriarum temporibus liceret, illi standum esset. num. 10. 11. 12. & 13.

20. Nonnullorum sententia est, feriarum tempore interdictam esse omnem sponsæ traductionem etiam absque solemnitate; verius tamen est solam solemnem traductionem sponsæ in sponsi domum prohiberi, quæ consistit in conviviis, & aliis vanæ lætitiæ signis, num. 15. 16. & 17.

21. Plerique peccatum mortale putant his feriarum temporibus uxorem traducere, convivia solemnia facere, aliaque sæcularis lætitiæ signa exhibere; verum authoris sententia est solas nuptiarum benedictiones hoc tempore vetitas esse sub mortali. n. 18.

22. Affirmant quidam feriarum tempore interdictum esse matrimonium consummare sub mortali; alii autem sub veniali; ceterum dicendum est nullam esse prohibitionem consummandi tunc matrimonium, quare prima consummatio ex hac parte prorsus culpa vacabit, nisi alia circumstantia mala vestiatur. num. 21. & 23.

Beneficium.

v. Dispensatio c. 8. v. Illegitimus. c. 9. v. Potestas. c. 2. v. Restituere. c. 1. & seq. v. Suspensio. v. Titulus.

1. Per sponsalia de futuro clericus minime amittit beneficia, nec illis est privandus. l. 7. d. 42. n. 1.

2. Per contractum matrimonii validum vacant statim ipso jure beneficia clerici contrahentis, licet quidam expectandam judicis sententiam affirment: & hoc verum, quamvis matrimonium nondum consummatum sit. n. 3. 4. & 5.

3. Non recuperat clericus beneficium nondum alteri collatum, quamvis sponsa incognita decedat, aut ad religionem transeat: quia cum ipsum semel vacarit, non potest ad id absque nova collatione redire, n. 6.

4. Per matrimonium validum amittuntur ipso jure accessus, regressus ac quælibet alia jura ad beneficium Ecclesiasticum. num. 7.

5. Illegitimus aut alias inhabilis impetrans dispensationem ad obtinendum beneficium vel ad plura, eaque impetrata si transit ad nuptias, minime extinguitur dispensatio, atque ita soluto matrimonio, possunt virtute illius beneficium vel plura obtineri. numer. 8. & 9.

6. Cle-

6. Clericus contrahens matrimonium & retinens priora beneficia peccat mortaliter, & tenetur restituere omnes fructus a se post matrimonium initum perceptos: unde possunt ejus beneficia tanquam vacantia impetrari, & alteri conferri, quia non jure sed solo facto possidet; quinimmo non potest matrimonio inito illa resignare in favorem tertii. num. 10. 11. 12. & 13.

7. Conjugatus est incapax obtinendi beneficii, & cum illo solus Pontifex dispensare potest ad qualecumque beneficium: quod intellige de illo qui uxore utitur, & illi cohabitat. num. 14. & 18.

8. Quamvis aliqui inhabiles, ut excommunicatus & irregularis obtinentes beneficium juventur Reg. de Triennali: atque ita non possint molestari postquam triennio pacifice possederunt beneficium; at conjugatus obtinens beneficium non juvatur ea regula, sicut nec laicus. num. 13.

9. Conjugatus esset capax beneficii si uxor senex voveret castitatem aut juvenis intraret religionem & profiteretur, vel si ob uxoris adulterium legitime ad ordines promoveretur. num. 16.

10. Contrahens matrimonium irritum ex quacumque causa ipso jure non amittit beneficia, sed in delicti pœnam, sententia judicis accedente privandus est; quidam tamen in quibusdam casibus ipso jure vacare beneficia probabiliter docent. lib. 7. disp. 43. n. 1. & 2.

11. Asseverant satis probabiliter quidam, ipso jure absque alia sententia perdi beneficia, quando matrimonium est irritum, eo quod contrahens sit in sacris constitutus; at contrarium est probabilius. num. 4.

12. Quando solis minoribus ordinibus initiatus contrahit matrimonium irritum ob consanguinitatem vel aliud impedimentum dirimens, etsi communis sententia asserat nulla expectata judicis sententia, vacare ipso facto beneficia; dicendum est tamen non vacare, sive scienter sive ignoranter id matrimonium contractum sit. num. 5.

13. Quando matrimonium est irritum defectu ætatis, quod uterque contrahens, aut alter sit impubes nec malitia suppleat ætatem, communis ac verissima sententia est quando sponsus est impubes minime vacare beneficia, quia id matrimonium habet vim sponsalium; idem dicendum si clericus erat pubes, femina autem impubes; licet quidam contradicant. num. 6.

14. Deficiente legitimo consensu ad valorem matrimonii requisito ex parte clerici & feminæ, non vacant beneficia; quamvis multas distinctiones plurimi admittant. num. 7.

15. Quando matrimonium est irritum eo quod clandestinum, nempe non celebratum coram parocho & testibus, beneficia non vacant. num. 8.

16. Sustinendo opinionem non vacare beneficia clerici post matrimonium a se contractum ex quavis causa irritum, potest hic clericus in favorem tertii, antequam privetur per judicis sententiam, beneficium resignare. num. 9.

17. Per matrimonium non vacant pensiones quæ pro ministerio mere temporali laico dantur, pensiones tamen alicui collatæ titulo clericali ut loco beneficii, vacant eodem prorsus modo per matrimonium, quo dictum est vacare beneficia, unde beneficii incapax, pensionis quoque quæ titulo clericali datur incapax est. lib. 7. disp. 44.

18. Peccat mortaliter beneficium curatum accipiens, aut retinens absque animo assumendi sacerdotii intra annum, & tenetur hic aut mutare voluntatem aut illud dimittere, collatio tamen valuit; imo tenetur fructus perceptos tempore iniquæ voluntatis restituere: hæc autem restitutio obligat in foro conscientiæ etiam ante judicis sententiam. lib. 7. d. 45. n. 2. 3. & 4.

19. Quando recipiens beneficium curatum non intendebat promoveri ad sacerdotium, sed tandem mutata voluntate, intra annum promotus est, Sotus & Toletus affirmant hunc teneri fructus restituere perceptos eo tempore quo intentione caruit: sed absque dubio tenendum est nullos fructus teneri eum restituere. num. 7.

20. Si Episcopus, postquam parochus ille mutavit voluntatem, dispensaret cum eo ne ratione studii promoveretur ad sacerdotium per septennium, dummodo intra illum annum Subdiaconus fiat, adhuc non amitteret fructus tempore præterito iniquæ voluntatis perceptos, etiamsi in fine anni Episcopus dispenset, quando jam non poterat ad sacerdotium promoveri. n. 8.

21. Recipiens beneficium parochiale animo non ascendendi tempore jure præscripto ad sacerdotium, & postea mutata voluntate id intendens; si tandem tempore præscripto non correspondit suæ obligationi, ascendens ad sacerdotium, non potest retinere fructus aliquos illius beneficii. num. 9.

22. Quando quis recipit beneficium curatum hæsitans an promoveatur, aut intentione conditionali ascendendi ad ordines tempore sibi jure præfixo, nisi interim quid sibi contingat felicius, vel mors fratris primogeniti, vel quid simile: in utroque casu est obligatio fructus restituendi, proinde ac si vere recipiret beneficium non intendens promoveri. num. 10.

23. Quando recipit quis curatum intendens ad sacerdotium promoveri, & postea mutata voluntate non promotus est, quidam asserunt eum teneri ad fructus restituendos a tempore quo mutavit voluntatem; at verius est non teneri. num. 11.

24. Quidam peccare dicunt illum qui recipit beneficium animo non retinendi illud in perpetuum, sed donec pinguius habeat: ceterum nulla culpa est, si is firmum habeat animum inserviendi illi beneficio qualecumque sit, dum illud tenuerit, & implendi omnia ad quæ beneficium obligat. num. 12.

25. Quibusdam placet accipientem beneficium simplex fraudulenter, animo nimirum fruendi ad tempus illius fructibus & non ascendendi ad ordines sacros, sed relinquendi statum clericalem ac transeundi ad matrimonium, teneri ad fructus restituendos; sed dicendum est non teneri fructus restituere, quia jus de recipiente beneficium parochiale loquitur. num. 13.

26. Beneficium dicitur habere ordinem sacrum sibi annexum, quod obligat ad onus aliquod petens ordinem sacrum. num. 15.

27. Quando beneficium simplex nullum ordinem sacrum annexum habet, vacat prorsus culpa illud recipere cum intentione nullius ordinis sacri recipiendi; at in statu clericali perseverandi, ac satisfaciendi onerибus ad quæ beneficium obligat. num. 17.

28. Probabilius est non peccare mortaliter recipientem, aut retinentem beneficium simplex, cui sacer ordo annexus non est, animo illud ad tempus retinendi, & ejus fructibus fruendi, posteaque eo deserto ad sæcularem vitam aut conjugalem transeundi, dummodo adimpleat ea ad quæ beneficium obligat: tamen venialis culpa esset. num. 19.

29. Similis culpa venialis est, accipere pensionem titulo clericali collatam, animo ea ad tempus fruendi, & postea transeundi ad statum conjugalem. n. 20.

30. Præsentatio ad beneficium, illiusve collatio, electio vel confirmatio, quæ irrita fuerunt defectu aliquo obtinentis beneficium, dispensatione superveniente confirmantur. l. 8. d. 7. n. 12.

31. Beneficium principis latissime interpretandum est, quando nihil contra jus commune, sed solum præter illud concedit. l. 8. d. 1. n. 4.

Bestialitas.

1. Bestialitas justam præbet divortio causam, cum vere caro conjugis in aliam dividitur, nempe in carnem bestiæ cui copulatur; at non credit author esse justam divortii causam concubitum intra vas cum femina, aut bestia mortuis; quia non est proprie fornicatio: sed nec concubitus cum statua mulieris, quod non fit vere divisio carnis in aliam. l. 10. d. 4. n. 14.

Bigamia.

1. Bigamiæ irregularitas, dicitur irregularitas ex defectu sacramenti; eo quod matrimonium, ideo rationem sacramenti induit, quod significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, quæ conjunctio est unius cum una; sed bigamia hoc tollit, quia bigamus cum pluribus matrimonium init. l. 7. d. 83. n. 1.

2. Triplex assignatur species bigamiæ 1. bigamiæ veræ, quæ est, quoties quis duplex legitimum matrimonium init utrumque consummans, 2. est bigamiæ interpretativæ, quæ est, cum quis duxit non virginem, vel si virginem, eam tamen post adulterium cognovit. 3. bigamiæ similitudinariæ, nempe in sacris constitutus aut professus matrimonium init & consummat. n. 2.

3. Bigamia non incurritur per multiplicem concubinatum, deficienti matrimonio de jure, vel de facto inito. num. 3.

Ad bigamiam contrahendam requiritur copula, & feminis virilis intra vas femineum immissio; quidam tamen ad bigamiæ irregularitatem satis esse penetrationem vasis membro virili factam probabiliter dicunt: in foro autem externo præsumetur copula perfecta, & per consequens bigamiam contractam esse. nu. 4. 5. & 6.

4. In copula desiderari semen feminæ ad bigamiam, alii affirmant, alii negant. num. 6.

5. Contrahens ac consummans matrimonium cum ea, quæ non membro naturali viri cum seminis effusione corrupta est, sed aut instrumento aliquo, aut membro virili, non intromisso femine, minime efficitur bigamus, aut irregularis: secus dicendum si femina integra manens virile semen ex concubitu arte quacumque receperit, efficitur enim femina tunc cum viro illo una caro. num. 7.

6. Matrimonium quod post Baptismum contractum efficeret contrahentem bigamum, & irregularem, effi-

cere

cere similiter, si ante baptisma ineatur, sentiunt D. Hieronym. & alii: sed negant Divus August. & plerique Theologi cum Doctoribus juris Pontificii. num. 8. & 9.

7. Bigamia interpretativa quatuor modis incurritur. 1. quando quis duo init matrimonia, & consummat, alterum de jure validum, alterum de facto irritum. 2. quando duo init matrimonia de facto, idest: ambo irrita. 3. quando quis ducit viduam a priori viro cognitam, vel per fornicationem corruptam, & cum ea consummat matrimonium. 4. quando virginem a se ductam & postea adulteram cognoscit. l.7. d.84. n.2.

8. Ducens uxorem viduam, vel fornicarie cognitam, invalide tamen propter aliquod impedimentum, modo id non proveniat ex professione, aut ordine sacro, bigamus non est; etsi quidam affirment. n.10. & 11.

9. Bigamia non est, si illud unicum matrimonium cum vidua, aut corrupta sit validum juxta Ecclesiæ præsumptionem, quamvis in foro conscientiæ tale non sit: tamen affirmant aliqui. n.12.

10. Ducentem feminam a se solo defloratam, bigamum esse quidam affirmant, sed probabilius alii cum authore negant. n.13. & 14.

11. Maritus cognoscens uxorem adulteram, etiam Ecclesia præcipiente, vel eo quod lis pendeat, vel quia nequit probare adulterium bigamus est; etsi quidam negent. num.16. & 17.

12. Clericus in sacris constitutus, vel professus, bigamiæ similitudinariæ irregularitatem incurrunt, quamvis cum unica, & virgine matrimonium contrahant, & hæc irregularitas non oritur ex defectu significationis, sed ex delicto. l.7. d.85. n.5.8. & 10.

13. Bigamiæ irregularitas per religionis professionem non tollitur; sed tantum illa quæ ex defectu natalium oritur. l.7. d.86. n.4.

14. In hac bigamiæ irregularitate veræ, vel interpretativæ dispensat solus Pontifex ad ordines majores, ad minores autem suscipiendos, vel susceptis utendum Episcopi; multi tamen contrarium docent. nu.8. 9. 10. & 11.

15. Si clericus in sacris constitutus, vel professus, cum unica & virgine contraxerit, potest Episcopus dispensare in eorum similitudinariæ bigamiæ irregularitate; secus autem (quoad officium intellige) si cum vidua, vel corrupta, vel duplex inierint matrimonium. numer. 20.

16. Dispensare potest Episcopus in irregularitate similitudinariæ bigamiæ, si ex delicto occulto oriatur, ex Concilio Trident. n.23.

Blanditiæ.

1. Blanditiæ principum, & aliorum superiorum non inducunt metum viri constantis, nec annullant actus; tamen si tacitæ minæ insint, incutiunt metum viri constantis, sicut & preces. l.4. d.7. n.3.

2. Blanditiæ non inferunt metum levem, & ideo meretrices non tenentur restituere; quod ultra stipendium debitum blandis, & amatoriis verbis compararunt. Contra Cajet. l.4. d.11.

Bulla.

1. Per bullam vel privilegia concedentia facultatem recipiendi sacramenta a quolibet sacerdote, non potest assistere matrimonio, qui non est parochus. lib.3. disp 19. num.3.

v. Commutatio. v. Privilegium c. 15.

2. Bullæ cruciatæ privilegia, ac jubilæi, sunt stricte intelligenda, quia non sunt privilegia seu beneficium ipsius dispensantis, sed ipsius personæ bullam accipientis, vel jubilæum obtinentis. l.8. d.2. n.7.

3. Bullæ cruciatæ privilegia morte Pontificis ea concedentis non expirant. l.8. d.28. n.93.

4. Bullæ cruciatæ privilegia non censentur revocari per jubilæum, qui vigesimoquinto quoque anno concedi solet; etsi contrarium credat Navarrus: ratio authoris est, quia hujus bullæ privilegia conceduntur per modum contractus. l.8. d.33. n.10.

4. Semel approbatus ab Ordinario, virtute bullæ est eligibilis Confessor, etiamsi ejus licentia sit irrita ob vitium occultum, aut sit occulte revocata, aut parochus ob vitium occultum beneficii incapax. lib. 8. disp. 34. num. 14.

Capellania.

1. Capellaniam recipiens, aut retinens absque animo saltem conditionali ascendendi ad sacerdotium, quando ea habet missarum onus annexum per capellanum implendum, peccat lethaliter: si capellania esset magni momenti, ut si excederent reditus 100. numero aureos: alias reputat author eam tenuem ad hunc effectum ut sit culpa lethalis in casu prædicto. l.7. d.45. n.15.

Capitulum.

v. Delegatus. c. 24. v. Ordinarius. v. Ordo. c.43. v. Vicarius. c.12

1. Capitulum sede vacante gaudet facultate Concil. Trident. Episcopis concessa circa absolutiones, & dispensationes casuum occultorum, nec deductorum ad forum contentiosum, excepta irregularitate ex homicidio voluntario. contra Suarez. l.8. d.2. n.10.

2. Capitulum non succedit in eis, quæ competunt Episcopo jure speciali delegato, seu ex commissione: secus si de jure ordinario speciali, potestas enim competens non personæ, sed dignitati perpetuo, vel officio, est ordinaria. ibidem.

3. Capitulum sede vacante potest assistere matrimonio, vel alii sacerdoti licentiam dare, quia succedit in omni jurisdictione ordinaria Episcopi. l.3. d.28. n.5.

Canonicus.

1. Canonicus cum quo dispensatur in ætate ad ordines, factus subdiaconus vocem habet in capitulo. lib. 8. disp.1. num.23.

2. Ut quis possit esse delegatus pontificis, vel ejus legati, sufficit canonicatum, vel aliam dignitatem obtineri tempore impetrationis illius rescripti Pontificii, quamvis tempore præsentationis ejus, cessarit jam dignitas illa. l.8. d.27. n.28.

3. Commissio facta canonico sub nomine dignitatis, non transit ad successorem, sed morte extinguitur: ex mente tamen Pontificis bene transiret in alium, cui canonicatus hujus collatus fuerit. n. 12.

Cardinalis.

1. Conjugatus ut fiat Cardinalis, non amplius desideratur, quam si ad ordines promovendus esset, quamvis quidam ingressum uxoris in religionem asserant desiderari l.7. d.41. n.4.

2. Cardinalis in Ecclesia sui tituli potest assistere matrimonio, vel alii Sacerdoti licentiam dare, quia habet jurisdictionem, quasi episcopalem. l.3. d.28. n.7.

Catechismus.

v. cognatio spiritualis.

1. Catechismus est, instructio quæ fit ante januam Ecclesiæ super baptizando. l.7. d.10. n.1.

2. Attento jure antiquo, qui tenet puerum in toto catechismo, contrahit cognationem spiritualem imperfectam, impedientem quidem, sed non dirimentem matrimonium: imo qui infantis personam gerit, respondens ad fidei interrogata, dum sacerdos interrogat an credat, camdem cognationem contrahit. n.2.3.&4.

3. Catechismi cognatio olim extendebatur ad easdem personas, ad quas cognatio ex Baptismo orta, & ad eosdem gradus: & secundum veriorem sententiam, catechismus hanc cognationem producebat, quamvis Baptismo prævius esset. n.6. & 7.

4. Aliqui censent catechismum non producere hanc cognationem matrimonii impedientem, nisi quando matrimonio coexistit; alii vero tunc id efficere dicunt, quando absque Baptismo fit, sed ab his recedendum est; quia nil confert sive catechismus solus, sive una cum Baptismo concurrat. n.8.

5. Per Concil. Trident. restricta est cognatio ex catechismo orta, ad gradum primum, ad quem eo decreto contracta est ex Baptismo. n.10.

6. Sustinent quidam & valde probabiliter etiam nunc catechismi impedimentum adhuc manere; verior tamen sententia habet esse omnino sublatum, per Tridentini decretum. num.11. & 12.

7. Parochus tenetur describere in libro nomina patrinorum, an sint illi patrini in catechismo tantum, an etiam in Baptismo. num.13.

Causa.

v. Clausula c.12 v. Cognatio spiritualis. c. 40. v. Demonstratio. v. Denunciationes. c. 21. & seq. v. Dispensatio. c. 69. & seq. v. Eucharistia. c.6. v. Pollutio. v. Professio. c. 42. & 43. v. Res integra. c.9. & seq. v. Sævitia. c.5. & seq. v. Sponsalia. c. 32. & 83. 100. & seq. v. Subreptio. c.10. & seq. v. Votum. c.8.

1. Limitata causa limitatum causat effectum. lib. 3. disp. 5. num. 2.

2. Causa justa ut Ordinarius dispenset in denuntiationibus est. 1. contrahentium pudor, ut quia sunt dispares ætate, &c. 2. dum aliqui concubinarii, existimati sunt diu conjugati. 3. si sint magnates. 4. si vicinum sit tempus quo prohibitum est, nuptias benedici. 5. quando prius contractum est matrimonium publice, reperiturque nullum ob impedimentum dirimens occultum. 6. quando timetur fore ne consanguinei matrimonium injuste impediant. 7. quando parentes vel tutor volunt, ut viro indigno nubat. 8. quando aliquibus valde expediret conjugium, timerentque impediendum. 9. si repentinus casus offerret rationem contrahendi matrimonium. 10. ob periculum animæ. 11. ad vitanda scandala ob aliquam factionem quæ vitari possunt, statim inito matrimonio. 12. dum in mortis articulo constitutus vult concubinam ducere. Quando in his casibus dispensat Ordinarius, debet informari an aliqua impedimenta subsint inter contrahentes. l.3. d.9.

3. Causa justa ut dispenset summus Pontifex cum clerico Ordinis sacri, vel cum religioso professo ad matrimonium, est causa publicæ utilitatis, videlicet pax totius regni vel ejus ad fidem conversio. l.8. d.8. n.8.

4. Jure optimo facilius dispensatur in matrimonii impedimentis cum divitibus, & potentibus, quam cum popularibus: nec acceptio personarum in hoc reperitur; quia dispensatio in his præcipue conceditur ad firmandum pacis fœdus. l.8. d.19. n.5.

5. Quo propinquior est gradus, eo urgentior causa exigitur ad dispensandum in eo, nam strictius est impedimentum. num.7.

6. Causæ justæ dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus, hæ solent communiter assignari. 1. extinctio magnæ litis & ut pax consanguineorum comparetur per matrimonium; & ad hanc causam reducitur evitatio scandalorum inter cognatos; item quando dispensatio est quasi remedium necessarium obviandi alicui magno delicto, l.8. d.19. n.8.9.&11.

7. Secunda causa est, quando ob loci angustiam, vel nimis propagatam feminæ cognationem in loco insigni quem inhabitat, non reperitur matrimonium æquale, præterquam cum consanguineis, & affinibus. n.12.

8. Tertia causa est, defectus dotis competentis, ut femina nubat juxta suam conditionem extraneo æquali. num. 16.

9. Quarta causa est, conservatio divitiarum in eadem cognatione, quando amplissimæ sunt. n. 30.

10. Quinta causa est, illustris familiæ conservatio in eodem sanguine. n.31.

11. Sexta causa est, excellentia meritorum sive dispensationem petentis, sive ejus cui petitur. n.32.

12. Septima est, proles habita ex consanguinea, quando bona fide suscepta est: imo satis est, prolem bona fide alterius tantum conjugis susceptam esse. n. 33.

13. Affirmant aliqui esse causam sufficientem dispensandi in his impedimentis dirimentibus, quando dos feminæ est sufficiens ad nubendum sibi æquali, at minus sufficiens respectu viri eam ducere volentis; sed contrarium verius est. n.17.

14. Non est justa causa dispensandi augmentum dotis & patrimonii mulieris, quæ dotem competentem habet. num. 18.

15. Sufficiens causa est, quando bona pars patrimonii feminæ aut jam acquisiti, aut ad cujus acquisitionem femina jus habet, litibus implicatur, ac omnino destituta est homine qui ad litem illam studiose attendat, ac negotium illius tanquam proprium gerat, præter consanguineum, vel affinem. n.20.

16. Si femina nil possideat, at parentes divites habet, quamvis sub judice sit an pauper dicatur quoad alios juris effectus, ut ad succedendum in quarta bonorum viri parte, vere tamen non dicitur pauper ac dote carens, sed in communi loquendi modo dives. n.21.

17. Si femina parentes habens divites, ac nihil possidens jure succedendi careret, dicitur illa pauper, ac dote competenti carens. n.22.

18. Non censetur femina pauper, & dote competenti carens, quando bonis renunciavit eo animo ut paupertatis titulo dispensationem ad nubendum consanguineo impetraret; dispensatio enim obtenta, ea fraude tacita, invalida est. num.26.

19. Integrum est feminæ pauperi in utroque foro renuntiare hæreditati, vel legato, antequam tacite vel expresse illa acceptet, ne valor dispensationis ad nubendum consanguineo cesset: sive renuntiarit antequam mittat Romam pro dispensatione obtinenda, sive postquam Pontifex illam expedivit. n. 27.

20. Si femina hæres, vel legataria instituta sit, ac institutionis inscia, eo quod erat in partibus remotissimis, misit Romam pro obtinenda dispensatione, allegando paupertatem, & concessa sibi ea dispensatione iniit matrimonium, ac post initum pervenit ad ejus notitiam institutio; potest acceptare hæreditatem, vel legatum, nec ideo defraudabitur suo valore matrimonium. n. 28.

21. Dispensatio impetrata allegando fore ut femina innupta defectu dotis maneat, valida est, ac dotis defectus verificatur, quamvis aliunde innupta remansura sit, ut quod sit grandæva vel filios ex alio matrimonio habeat, vel sit deformis, aut de aliquo crimine infamata, ob illudve punita sit. n.29.

22. Quando causæ aliquæ singulæ non sufficiunt ad dispensandum, multæ aggregatæ adjuvant ad invicem; quia singula quæ non prosunt, simul collecta juvant. n.34

23. Eædem causæ desiderantur, ac sufficiunt ad relaxanda juramenta in solum Dei honorem facta, quæ desiderantur & sufficiunt in similium votorum dispensatione. l.8. d.20. n.1.

24. Quo votum de majori bono est, eo excellentior causa requiritur ad dispensandum in eo. n.2.

25. Ad dispensandum in voto requiritur causa illius executioni obstans: idem dicendum, quando votum commutatur in minus; si in æquale autem commutetur, sufficit quæcumque occasio. n.3.4.& 5.

26. Non est justa dispensandi in votis causa, si vovens conferat magnam pecuniæ summam, si nulla causa executioni voti obstans reperiatur. n.6.

27. Prima causa dispensandi in voto justa se tenens ex parte materiæ voti est; quando prudentis arbitrio dubium fuerit, an res promissa sit facta mala, aut inutilis, aut majus bonum impediens. n.8.

28. Ad dispensandum non exigitur certitudo sufficientiæ causæ, sed satis est si prudentis arbitrio dubium sit, an sit sufficiens. n.10.

29. Secunda causa ex parte materiæ, cum dubium fuerit an quispiam voverit, vel an votum obliget ob materiæ, aut animi se obligandi defectum. n. 11.

30. Tertia causa est ex parte voventis, nempe quando votum leviter & ex animi facilitate emissum est, non præmissa prudenti ac matura deliberatione. nu. 12.

31. In votis puerorum ante pubertatem emissis, potest alia causa non petita dispensari. n. 13.

32. Si votum emissum sit ob timorem mortis ex metu, naufragio, vel ex alia causa consurgentem, & metus maturam deliberationem, ac prudens consilium excludat, sufficiens est causa dispensandi. n.14.

33. Quando metus injuste ab homine incutitur gratia voti extorquendi, quamvis non sit cadens in constantem virum, sufficientem tamen causam dispensandi is metus præbet. n. 15.

34. Sufficiens causa dispensandi est, error circa causam voti impulsivam, vel quando ea causa cessavit. n.16.

35. Quarta causa est, quando vovens versatur in periculo transgrediendi votum, si periculum illud oriatur ex ipsius voventis statu: item, quando maxima implendi voti difficultas est, ita ut vehemens frequentioris transgressionis probabilitas immineat. n.17. & 18.

36. Quinta causa ex parte voventis est difficultas magna superveniens casu quo non sit talis ut voti obligationem extinguat: item si vovens ratione voti nimis conscientiæ scrupulis vexetur. n.22. & 23.

37. Sexta causa sufficiens est; necessitas boni communis. num. 24.

38. Non est justa causa dispensandi in voto castitatis simplici, aut religionis, necessitas conservandæ progeniei alicujus nobilissimi ducatus, aut marchionatus, nisi admista aliqua commutatione. n.25.

39. Non est sufficiens causa ad mere dispensandum, in simplici voto castitatis, morbus continuus, cui periti medici judicant venereis actibus subveniendum esse, sed debet admisceri aliqua commutatio. n.26.

40. Quandoque contingit, ut non sit causa sufficiens ad mere dispensandum, adsit tamen ad partim dispensandum, admista aliqua commutatione, tunc quo causa dispensandi major fuerit, eo minori commutatione opus erit. num. 28.

41. Minor causa sufficit ad dispensandum, in voto pœnali castitatis, aut religionis quam in absoluto; quod illud minus voluntarium sit. n. 29.

42. Quando adsunt simul vinculum voti, & juramenti, expressa utraque major exigitur causa ad dispensandum, non tamen ad commutandum. n. 30.

Non semper sufficiens causa ad dispensandum in voto; est quoque sufficiens ad dispensandum in voto non petendæ dispensationis, sed quando eadem causa reperitur in utroque voto. n.31.

43. Multo minor causa desideratur ad dispensandum in tempore obligationis exequendi votum, quam ad omnino dispensandum in eo. n.32.

44. Quando princeps dispensat motu proprio, & non ad partis instantiam in jure humano, præsumitur præsumptione juris & de jure contra quam non admittitur probatio, adesse causam justam; quando autem dispensat in jure divino & naturali, cum id absque causa fieri nequeat, opus est de causa constare: & hoc intellige pro foro externo; nam in foro conscientiæ præsumendum est pro superiore, dum subdito non constat causæ defectus l.8. d.17. n.14. & 15.

45. Quando causa, quæ a principio fuit vera, erat impulsiva dispensationis, licet postea cesset, non corruet dispensatio. l.8. d.30. n.7.

46. Si causa finalis dispensationis non omnino cesset, sed adhuc aliquot ejus reliquiæ permanent, non extinguitur dispensatio; in dubio autem an cessarit omnino causa dispensationis, judicandum est dispensationem valere, quia stat possessio pro ipsa ubi semel valida fuit. num. 8.9.

47. Ut dispensatio valida sit, opus est, duplici tempore verificari totam causam finalem; nimirum tempore quo Pontifex, vel pœnitentiarius concedunt illam, committentes executionem Ordinario, vel Confessori cognita precum veritate; & tempore quo hi exequuntur: Insuper est opus ut tempore quo omnino consumanda est non cessarit omnino causa finalis. n. 15.

48. Cau-

48. Causa finalis quoad inducendam subreptionem in rescriptis gratiæ, vel justitiæ, ea dicitur, qua non existente princeps gratiam minime concessisset, vel quia ei significata, denegasset petita: Impulsiva vero causa est quæ falso expressa principem movet ad concedendum facilius petita; vel si vera est & ea non taceretur, moveret ad difficilius concedendum. l.8. d.21. n.8.

49. Quando dispensatio deducta est ad ultimatum effectum, nec is commode dividi aut partim revocari potest, quamvis tunc omnino cesset causa finalis, non cessat dispensatio. l.8. d.30. n.10.

Cautio.

v. Secretia. 1. Cautionis nomine nisi aliquid addatur, nuda cautio comprehenditur. l.10. d.38. n.34.

2. Quando adduntur aliquæ particulæ cautioni, desideratur ut detur cautio fidejussoria, vel pignoratitia. num.35.

3. Cum cautio interponitur ob suspicionem personæ, semper debet esse cum pignore, vel fidejussoribus. num.36.

4. Quoties cautio fidejussoria aut pignoratitia desideratur, sufficere bonorum hypothecam affirmant aliqui, sed alii melius negant. n.37.

5. Quoties quis ex necessitate juris tenetur satis dare, & eo quod advena aut pauper sit, non potest fidejussorem aut pignora invenire, satisfacit juratoriam cautionem præstando. n.38.

6. Judex ex officio etiam parte non petenti, potest cogere partes ad cautionem securitatis præstandam, quia in hoc vertitur publica utilitas. n.39.

7. Cautio pignoratitia, vel fidejussoria desideratur, ut conjux probabiliter timens alterius conjugis lævitiam, teneatur cum illo habitare. n.40.

8. Si vir juramentum timeat, ac subinde eo præstito satis consulatur uxoris incolumitati, non est opus alia cautione. n.41.

9. Cautio non impedit, quin vito liceat moderate punire uxorem intra limites permissos marito, ut antea licebat: quia in ea punitione nulla versatur atrocitas, estque rationi consentanea, non enim æquum est, ut proprium uxoris delictum ipsi immunitatem præstet. num.45.

Circumstantia.

v. Adulter. c. 1. 8. 26. v. Amentia. c. 8. v. Confessarius c. 10. v. Debitum c. 14. & 21. 41. v. Ecclesia. c. 6. & seq. v. Hæresis c. 11. v. Impedimentis c. 12. v. incestus 3. c. 9. & seq. v. Raptus c. 1. 23 & seq. v. Stuprum. v. Turpitudo c. 12.

1. Quandocunque amplexus, oscula, tactus, aspectus sunt peccata lethalia, fatendæ sunt necessario circumstantiæ personarum agentis & patientis, quia sunt ejusdem malitiæ moralis, cujus est actus consummatus copulæ, ad quam suapte natura referuntur. l.9. d.46. n.17.

2. Peccatum lege aliqua prohibitum potest bifariam alio jure prohiberi. 1. respectu ejusdem virtutis, & tunc unica & eadem erit malitia. 2. potest prohiberi tuitu alterius virtutis, & tunc erit duplex malitia specifica: unde quamvis multiplicatio præceptorum maliciam transgressionis augeat, non tamen ita notabiliter ut illa circumstantia sit necessario in confessione explicanda. l. d.9. 15. n.5. & 6.

3. Concubitus fidelis cum infideli, vel hæretica, habet circumstantiam necessario confitendam in confessione; quia in priori casu mutatur species peccati, ob cultus disparitatem, in secundo autem quia tale matrimonium prohibetur sub mortali. l.7. d.5. n.12. & 13.

4. Coitus cum impedimento dirimenti impotentiæ, ut si frigidus, vel eunuchus coeant; habet circumstantiam diversæ speciei necessario confitendam; reducitur enim talis coitus ad peccatum contra naturam. no.14.

5. Cessaret circumstantia infidelitatis, vel hæresis explicanda in supradicto casu, dispensatione obtenta ad contrahendum cum ea femina matrimonium. n.15.

6. Ut circumstantia aliqua addat novam luxuriæ rationem supra simplicem fornicationem, necesse est, ut novam malitiam specialemque vitii deformitatem afferat; vel addendo aliquam novam speciem, extra luxuriam oppositam alii virtuti, quam castitati, vel quod privet conditionibus requisitis ab ipsa natura generica omnibus animalibus convenienti in ipso concubitu. l.7. disp.14. num.2.

7. Coitus Confessoris cum filia confessionis, habet circumstantiam necessario fatendam, non solum tanquam notabiliter aggravantem, sed quia mutat speciem, & est speciale sacrilegium ratione specialis prohibitionis Ecclesiæ, & est quodammodo incestus ratione vinculi similis cognationis ex eo sacramento contracti: quidam tamen probabiliter contrarium tenent. lib.7. disp.55.

8. Proteitus fornicans satisfacit si se votum emisisse dicat, quia id solemne votum a simplici non differt specie, neque alterius rationis vinculum est, sed solum accidentaliter. l.7. d.27. n.27.

9. Si fornicans sit sacerdos, & professus satisfacit in confessione dicens se sacerdotem esse, quamvis contrarium satis probabile sit. n.28.

10. Sacerdos professus fornicans satis fatetur dicens se professum tacito sacerdotio; quia hæc vota non sunt distinctæ speciei. n.30.

11. Sacerdos non professus fornicans, non tenetur sacerdotii circumstantiam fateri, sed satisfacit dicens se sacri Ordinis initiatum. n.31. imo satis patat author dicere se voto castitatis ligatum esse. n.32. hæc autem vera sunt licet fornicans sit Episcopus, aut Prælatus, modo absit scandalum subditorum. n.33.

12. Si fornicetur religiosus Societatis Jesu votis biennii simplicibus ligatus, non tenetur se religiosum esse explicare sed satis est ut votum castitatis explicet. n.34.

13. Professus, qui se non habiturum mollitiem vovit & transgressus est, satis fatetur se professum; tacito eo voto; imo satis erit dicere se contra votum castitatis aut contra votum non se polluendi deliquisse. num.36.

14. Circumstantia est necessario explicanda, si votum & juramentum de eadem re facta violentur; quia diversa ratione pertinent ad religionis virtutem. n.37.

Clandestinum.

v. Benefitia c. 15. v. Honestas publica c. 11 v. Legitimare c. 1. & seq. v. Lex c. 13 v. Pactum c. 20. v. Pœna c. 27. & seq.

1. Clandestina sponsalia, hoc est sine parocho & testibus contracta sunt valida; quia decretum Tridentini irritans matrimonium clandestinum non debet extendi ad sponsalia; etsi quidam ipso jure irrita esse affirment. lib.1. disp.12. num.2.

2. Quidam dicunt esse peccatum mortale sponsalia clandestina contrahere, quia prohibito aliquo censetur prohibitum omne id per quod pervenitur ad illud; sed contrarium est verius quia nullo jure prohibentur. lib.1. disp. 13.

3. Matrimonium clandestine contractum irritum juxta Tridentinum non habet vim sponsalium, & ut tale non obligat quamvis juramento firmetur; contrarium tamen est etiam probabile. l.1. d.20. n.2. 3. & 4.

4. Si clandestine contrahens copulam habuit, feminam tenetur ducere non ratione contractus, sed injustitiæ & damni feminæ illati. n.5.

5. Si matrimonium contrahens clandestine, animum habuerit se obligandi, eo modo quo potest, manebit obligatus, non ex contractu de præsenti qui nullus est, sed ex sponsalibus in eo contractu implicite contentis. num.6.

6. Clandestinum matrimonium dicitur, quod clam fit, idest, in quo aut testes deficiunt, aut denunciationes ad perfectam ejus publicationem ab Ecclesia petitæ desiderantur. l.3. d.1. n.3.

7. Clandestine contrahentes, absque parocho, & testibus peccant mortaliter, quia contraveniant præcepto Tridentini. l.3. d.3. n.6.

8. Clandestinum matrimonium non sola lege Ecclesiastica ut volunt quidam, sed etiam naturali interdictum est: unde infideles clam contrahentes contra jus naturæ delinquunt. n.7. & 8.

9. Ecclesia potuit irritare & de facto irritavit matrimonia clandestina. 1. indirecte inhabilitando personas. 2. directe annullando immediate ipsum contractum, l.3. d.4. n.3. & 4.

10. Ecclesia irritans matrimonium clandestinum non mutavit illius formam, & materiam, sed tantum modum contrahendi variavit, & in posterum observandum præscripsit. n.7.

Clausula.

v. Subreptio c. 13. & 24.

1. Clausula generalis posita post casus requirentes speciale mandatum, continet alios similes, non autem longe majores expressis. l.2. d.11. n.3.

2. Clausula in fine posita refertur ad omnia præcedentia. l.3. d.7. n.17.

3. Clausula, Tuo judicio, prudentiæ, conscientiæ, importat non exigit judicialem cognitionem, nec desiderari testes jurantes, l.3. d.8. n.4.

4. Clausula posita in una parte dispositionis, sive ponatur in principio, sive in medio, sive in fine, censetur referri ad omnia contenta in illa, quando omnium præcedentium est eadem ratio. l.6. d.22. n.19.

3. Clausulæ, ad executionem contractuum appositæ non immutant, nec augent eorum naturam. lib. 6. disp.29. num.9.

6. Clausula in rescriptis principum apposita, in dubio intelligitur sine tertii præjudicio. l.8. d.7. n.6.

7. Clausula non obstante, in litteris dispensationis apposita, non reddit gratiam validam, nec illam auget supplens qualitatum necessario exprimendarum taciturnitatem, sed tantum reddit valida ac confirmat expressa. l.8. d.24. n.6.

8. Per clausulam, dummodo mulier rapta non sit, vult Pontifex quasi in hoc novum impedimentum inducere, quando femina rapta fuerit ad finem matrimonii cum ea ineundi. l.8. d.25. n.18.

9. Clausulæ solitæ apponi stylo curiæ, censentur appositæ etsi non exprimantur. n.19.

10. Clau-

10. Clausula, dummodo non spe facilioris dispensationis copula habita sit, vel matrimonium initum, non verificatur quando in solo altero contrahente fuit hæc spes, nec est necessaria illius mentio. n.31.

11. Clausula, in qua continetur causa dispensationis, timore incontinentiæ ut verificetur, non sufficiunt quæcumque carnis tentationes, nec quodcumque lapsus in eas periculum, nec sat est timor unius vel alterius lapsus; sed exigitur maximum frequentioris lapsus periculum, ita ut persona illa possit dici vivere incontinenter. lib.8. disp.34. num.19.

12. Clausula, in qua mandatur Confessario verificationem causæ indagare verificatur; dummodo Confessarius diligenter examinet veritatem precum etiam non vocatis notario & testibus: si autem Confessarius norit aliunde quam ex confessione preces allegatas in dispensatione esse falsas non debet dispensare, quamvis pœnitens eas esse veras asserat. n.21.

13. Dispensationes nullius sunt momenti pro foro externo, nisi Ordinario eas impetrantis præsententur: pro foro autem conscientiæ soli Confessario cui diriguntur sunt præsentandæ. n.23.

14. Clausula, continens monita & consilia danda a Confessore, eorum omissio non vitiat dispensationem. n.27

15. Clausula jubens pœnitentiam imponi ut verificetur non est necessaria confessio sacramentalis ad has dispensationes expediendas, sive per doctorem, sive per religiosos virtute privilegii expediantur. n.28. & 29.

16. Clausula injungens opera in quæ debent commutari votum castitatis & religionis, admissa partim dispensatione, ligat Confessarium, ne pro arbitrio ea mutare possit, sed illa injungere præcise tenetur: quantitas autem horum operum pœnitentiæ ejus arbitrio relinquitur. n.33. & 34.

17. Clausula, jubens dilaniari litteras & ut aliter non profint verificatur: si postquam hæ litteræ parti restitutæ fuerint, dilanientur, aut comburantur, vel omnino amittantur sine spe recuperandi. n.42.

18. Clausula, continens dotem a viro vel ab alio supplendam, ut verificetur; necessario est integre dos feminæ augenda, ita ut augmentum illud simul cum illius feminæ dote plenam & sufficientem dotem constituat, juxta feminæ qualitatem. l.8. d.35. n.5.

19. Clausula injungens Ordinario ut veritatem precum examinet, verificatur, modo extra judicialiter judex informetur certiorque fiat de precum veritate, sine notario & juramento testium. n.14.

20. Clausula, non obstantibus constitutionibus & Ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque, derogat decreto Concilii generalis, etiamsi specifica Concilii mentio non fiat quo ei derogatum censeatur: quia hoc non desideratur quando Pontifex dispensat in speciali & certo casu contra Concilii generalis prohibitionem. n.17.

21. Per clausulam, ut matrimonium servata forma Concilii Tridentini contrahere valeant, requiritur, ut illud celebretur coram parocho & duplici teste, denuntiationibus præmissis. n.19.

22. Clausula quæ apponitur in dispensationibus absque causa concessis: ipsi ex certis rationalibus causis eorum animum moventibus cupiunt invicem matrimonialiter copulari, verificatur satis, quamvis illæ rationabiles causæ, quibus illi ducuntur, non probentur coram Ordinario imo judex non debet aliquid ab impetrantibus dispensationem, vel ab aliis circa eas inquirere. n.24.

23. Clausula quæ continet contrahentium qualitatem, dum allegant se esse nobiles aut ex nobili genere natos, aut ex sui oppidi principalioribus, verificatur, etsi nobilitas tantum sit ex parte patris: & principaliores populi dicentur si sint viri potentes ac valde divites. l.8. d.19. n.6.

De his clausulis in dispensationibus apponi solitis multa hac disputatione 35. & præcedenti edisserit author.

Clericus.

v. ignorantia c. 11. & seq. v. ordo v. beneficium. v. suspectio.

1. Clericum percutiens turpiter inventum cum uxore, matre, sorore vel filia, imo cum sponsa de præsenti nondum cognita, non est excommunicatus. lib. 1. disp. 1. num.6.

2. Clericus conjugatus ut gaudeat privilegio clericali duo requiruntur. 1. ut unicam & virginem duxerit. 2. ut tonsuram & vestes clericales deferat: tertium addidit Concil. Trident. nempe ut alicui Ecclesiæ deputatus ab Episcopo inserviat. l.7. d.46. n.1.

3. Clericus bis conjugatus, aut cum corrupta (casu quo contraxerit veram bigamiam) aut si cum unica & virgine non defert tonsuram & vestes clericales, aut non ministrat Ecclesiæ ex Episcopi deputatione, minime gaudet privilegio aliquo clericali. n.2. & 3.

4. Ut clericus conjugatus amittat privilegium fori propter bigamiam, desideratur ut tempore delicti commissi illam contraxerit, si enim antea delictum perpetret, fruetur fori privilegio quoad id delictum, quamvis postea effectus sit bigamus iniens aliud matrimonium priori uxore defuncta. n.4.

5. Ut privilegio aliquo gaudeat Clericus conjugatus non satis est illum una aut altera veste clericali indui, sed omnes vestes extrinsecus apparentes debent esse clericales & honestæ, quibus Clerici conjugati in illa regione utuntur. n.5. & 6.

6. Clericus conjugatus non amittit privilegia canonis & fori, per unam aut alteram habitus dimissionem, dummodo continuo habitum deferat. n.8.

7. Item non amittit si tonsuram non gestat, quod caput rasum sit præ morbo gallico aut calvitie; debet autem tonsuram & vestes clericales deferre tempore commissi delicti, ut quoad illud gaudeat fori privilegio, nec satis erit illas postea assumere. n.9. & 10.

8. Duplici solo privilegio possunt gaudere Clerici conjugati in minoribus constituti servantes omnes conditiones requisitas: nempe canonis privilegiis, *si quis suadente* &c. & fori, ut non possit conveniri coram judice sæculari in causis criminalibus & civilibus: in reliquis omnibus præter hæc duo reputantur mere laici. n.12.

9. Clericus conjugatus non potest esse Vicarius Episcopi in spiritualibus nec delegatus ad causam spiritualem: potest tamen esse assessor Episcopi, quia officium assessoris est consulere, quod competit laico. n.14.

10. Clericus conjugatus non potest interesse divinis tempore interdicti, nisi alicubi consuetudo legitime præscripta contrarium obtinuisset. n.15.

11. Non habet Clericus conjugatus privilegium immunitatis quoad gabellas, munera sæcularia, indictiones, & quæcumque alia obsequia; hæc enim onera tenetur subire instar meri laici. n.16.

12. Clericus conjugatus non servans conditiones requisitas a jure, eo ipso sine ulla monitione, aut judicis sententia, amittit privilegium canonis & fori; quidam tamen docent, non privari ante sententiam. n.18. & 19

13. Affirmant quidam clericum conjugatum tam in criminalibus quæ descendunt ex delicto, quam in civilibus, quæ ex contractu, vel quasi contractu originem ducunt gaudere privilegio fori, sed communior, & probabilior sententia ait hunc in solis causis criminalibus gaudere privilegio fori, sive criminaliter ut dum petitur vindicta; sive civiliter agatur, ut dum petitur restitutio damni illati; at in causis mere civilibus descendentibus ex contractu, vel quasi contractu illum non eximi a jurisdictione judicis sæcularis; qui pro executione talis causæ potest eum capere, & in carcerem detrudere. n.21. 22. & 23.

14. Clericis conjugatis licita est negotiatio honesta victus causa, nec ob id amittunt privilegia: tamen probabiliter sustinent aliqui hos privilegiis privari. num.25. & 26.

15. Clericus conjugatus cum unica, & Virgine, vestes clericales, & tonsuram deponens non ita amittit privilegia clericalia, ut ea nequaquam recuperet resumptis vestibus, & tonsura, licet quidam affirment eum nequaquam recuperare. n.27. & 29.

16. Clericus conjugatus qui unicam uxorem, & eam virginem accepit, consequitur ea mortua omnia privilegia quæ clerici non conjugati primæ tonsuræ jure habent, si redeat ad propria clericorum ministeria. num.30.

Cognatio carnalis.

v. Excommunicatio. c. 20. v. Incestus. v. Subreptio c. 28. & seq.

1. Cognatio carnalis est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. l.7. d.50. n.1.

2. Linea in cognatione carnali, est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendentium diversos continens gradus. n.2.

3. Gradus est habitudo seu mensura distantium personarum, qua cognoscitur quota consanguinitatis distantia aliqui consanguinei conjunguntur. Ibidem.

4. Linea consanguinitatis est triplex, 1. est ascendentium, in qua continentur personæ a quibus origo deducitur ut pater, avus, proavus, atavus, &c. 2. est descendentium quæ claudit personas originem ab eo stipite trahentes, ut filios, nepotes, pronepotes, trinepotes, & hæc duplex linea est reipla eadem, dicitur que linea recta. ibidem.

5. Alia est linea collateralis seu transversa, in qua continentur personæ quæ ex latere, & ex transverso junctæ sunt, eo quod ab eodem stipite, & sanguine descendunt; ut fratres & eorum filii patruus, amita. Ibidem.

6. Transversa lineæ est duplex, quædam est æqualis in qua continentur gradus consanguineorum æque a stipite distantium, ut sunt duo fratres, aut duorum fratrum filii: Alia vero inæqualis, quando consanguinei transversi distant inæqualiter a communi stipite in quo uniuntur, ut patruus & amita respectu consobrini: distat enim consobrinus ab illis in secundo gradu dispari, quod patruus, & amita distent a communi stipite in